ANTIQVITATES

VERGILIANAE.

Dilecti tibi Vergilius Variusque poetae,
Nec magis expressi voltus per ahenea signa,
Quam per vatis opus mores animique virorum.

ANTIQVITATES

VERGILIANAE

ad vitam populi Romani descriptae

a

LAVRENTIO LERSCH.

Bonnae.

H. B. König.

MDCCCXLIII.

Octo fere praeterlapsi sunt anni, ex quo dissertationem de morum in Vergilii Aeneide habitu edidi, qua p. 91. pollicitus sum, me antiquitates aliquando Vergilianas esse scripturum. In diariis deinde Zimmermanni philologicis annorum MDCCCXXXVIII. nr. 71. 72., MDCCCXXXIX. nr. 80. 81. duo earum fragmenta patrio sermone conscripta communicavi. Eundem nuper locum in museo praeceptorum terrarum Rhenanae et Westphaliae Vol. II. p. 35. tetigi. Librum iam integrum, neque vero profecto absolutum, quamvis in eo elaborando Horatianum illud praeceptum de anno nono iam decimo exspectando religiose servaverim, viris doctis trado. Verum enim vero finiendum erat aliquando argumentum, animus a quadam quasi mole liberandus. At licet ipse probe sentiam, de multis hic pertractatis dubitari posse, de aliis in utramque partem disputari, sperare tamen ausim, fore ut non in Vergilium solum, sed in ipsam etiam Romanarum antiquitatum doctrinam fructus aliquis redundet. Operam enim dedi, ut cuncti

mores, instituta cuncta per omnia Vergilii carmina diffusa in unum quasi corpus confluerent, ad unam mentem, indolem vitamque Romanam revocarentur, Graeca, quae insunt pauca, indicarentur. Innumeri igitur versus e Livio, Plinio, Vegetio, Varrone praesertim erant inlustrandi, atque omnino hos scriptores potius, quam Homerum Hesiodumque adhibendos iam esse censeo. In qua opera si forte felicior fuerim, non paucas etiam Romanae antiquitatis quaestiones hic amplius fuisse exponendas viri docti perspicient. Perpetuo tamen cavendum erat, ne poeticae rationes laederentur.

Quodsi numen divinum mentem infractam robustamque mihi servaverit, de fontibus carminum Vergilianorum omnium aliquando disserere in animo est. Sed vestra, lectores benevoli, opus erit voluntate.

Scribebam Bonnae pridie Calendas Octobres MDCCCXLIII.

Libri compositio.

I. De republica.

§. 1. De reipublicae forma. *De regia potestate.* §. 2. De iure condendo. §. 3. De imperio. §. 4. De pontificia dignitate. *De regum insignibus.* §. 5. De regia. §. 6. De trabea. §. 7. De sella. §. 8. De patera. §. 9. De torque. §. 10. De corona sceptroque. §. 11. De quadriga. §. 12. De consulum insignibus. §. 13. De quaesitore et iudice. §. 14. De senatu. §. 15. De curia. §. 16. De populo. §. 17. De tribubus. §. 18. De agro publico. §. 19. De urbis condendae more.

II. De re militari.

§. 20. Vergilius quid de bello senserit. §. 21. De belli indictione. §. 22. De classico. §. 23. De clamore. §. 24. De vexillo. §. 25. De tessera. §. 26. De legione. §. 27. De cohorte, maniplo, ala, turma. §. 28. De phalange et caterva. §. 29. De tironum exercitationibus. *De armis.* A. §. 30. De lorica ac thorace. §. 31. De clipeo, scuto, parma, pelta, cetra, ancili. §. 32. De galea, cassida et galero. §. 33. De ocrea ac perone. §. 34. De pellibus. B. §. 35. De binis hastilibus, pilis, missilibus, spiculis ac gaesis deque septenis. §. 36. De ensi, mucrone, gladio, dolone veruque. §. 37. De pharetra, sagittis arcuque. §. 38. De bipinni et securi. §. 39. De phalarica. §. 40. De cateia et aclyde. §. 41. De funda glandibusque plumbeis. §. 42. De phaleris. §. 43. De verbis militaribus. §. 44. De castrorum forma. §. 45. De vigiliis excubiisque. §. 46. De obsidione eiusque instrumentis. §. 47. De obsessorum defensione. §. 48. De armorum combustione. §. 49. De spoliis opimis. §. 50. De spoliis figendis. §. 51. De curru, quadriga et triumpho. §. 52. De pace petenda. §. 53. De legatis. §. 54. De foedere. §. 55. De navibus.

III. De sacris.

§. 56. Vergilius quid de deo, mundo, fato senserit. §. 57. De diis. §. 58. De templis, silvis, arboribus sacris. §. 59. De aris. §. 60. De sacerdotibus, auguribus et sacrorum ministris. §. 61. De varia hostiarum ratione. §. 62.

De instrumentis sacris et pontificalibus. §. 63. De sacrificandi ritibus. §. 64. De farre, mola salsa, ture, libis. §. 65. De precibus, votis, precationum formulis ritibusque. §. 66. De libationibus. §. 67. De coronis sertisque. §. 68. De arte magica. §. 69. De divinatione. §. 70. De numeris sacris.

IIII. De vita privata.

§. 71. De moribus antiquis. §. 72. De aedibus Romanis. §. 73. De gentibus Romanis. §. 74. De servis. §. 75. De nominibus. §. 76. De iure privato. §. 77. De nuptiis. §. 78. De textrina. §. 79. De vestimentis. §. 80. De ornamentis. §. 81. De artis operibus. §. 82. De arte musica. §. 83. De conviviis. §. 84. De re medica. §. 85. De venatione. §. 86. De funeribus.

I.

De republica.

Tu regere inperio populos, Romane, memento
VI, 852.

§. 1.

De reipublicae forma.

Omnis reipublicae administratio triplici tantum specie potest esse constructa, ita ut vel uni soli summa rerum gerendarum cura, vel pluribus vel denique omnibus sit mandata. Primam Aristoteles appellat *βασιλείαν*, alii *μοναρχίαν*, secundam *ἀριστοκρατίαν*, tertiam *πολιτείαν*, alii *δημοκρατίαν*. Apud nullum vero populum, per nullam fere aetatem vel *βασιλεία* sola, vel *ἀριστοκρατία*, vel *πολιτεία* integra conspicitur. Ipso Homerico aevo in universum quidem *βασιλεῖς* erant, sed optimatium consilio coercebantur; minore opulentia populus gaudebat. Quaeritur, quisnam apud Vergilium sit ordo ac status.

Tribus tantum modis poeta Romanus in hoc constituendo vel potius indicando — si modo memoria tenemus, in carmine pangendo non omnia semper ex composito fingi et ad exactam regulam revocari — ad speciem fixam et firmam eliciendam poterat deduci. Vel enim Homero auctore omnia ad huius rettulit exemplum, vel poetis posterioribus delenitus ad Graecam delineavit normam, vel fabulis et narrationibus antiquis in animum haustis Romanae reipublicae condiciones versibus suis intexuit. Ab Homero iam eo dissentit, quod reges minime per primores prohibeantur, a posterioribus, quod verae Graecorum disciplinae nulla in ipso certa constent vestigia, ita ut poeticum quoddam r e g n u m evadat, nullo unquam tempore omnino a Romanis receptum, sed partim ex antiquissima Romuli, Numae regumque aliorum memoria, partim e novissima sub Augusto rerum conversione et constitutione non sine consilio, adulatione et rerum futurarum praesensione mire compositum. Ita enim reges omnia, quae ad rem publicam, militarem, sacram pertinent, digerunt atque efficiunt, ut nemo fere primorum ullam aliam movere audeat sententiam, populus vero omnem perdiderit aucto-

ritatem. Reges dico. *Reges Pelasgi* I, 624. commemorantur. Quotiens Aeneas, qui ducis potius nomine dignus erat, regis nomen accipit? (Vide I, 544. 553. 575. VI, 55. VII, 220. 267. VIII, 12. XI, 230. al.) Quotiens Turnus? (v. g. IX, 327. 369.) Quotiens Evander ac Latinus? Nonne V, 758:

gaudet regno Troianus Acestes?

Nonne eum, qui idem vates est, III, 295. audimus:

Priamiden Helenum Graias regnare per urbes?

Nonne Rhamnes IX, 327:

Rex idem et regi Turno gratissimus augur.

III, 80:

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos?

Nonne Dido regina? Interdum vero pro regis nomine tyranni denominatio ita usurpatur, ut VII, 266. ex ore regis Latini de Aenea:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

et VII, 342. de rege Latino ipso:

Laurentis tecta tyranni
Alta petit.

vix ullum in se complectatur probrum, alias autem non sine ignominia et crudelitatis nota dicatur. Ita de Mezentio VIII, 483:

Quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni
Effera.

ex ore Turni de Aenea XII, 75:

Nuntius haec Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer.

Denique eum etiam singularem nobis poeta proposuit ordinem, ut unus rex alterum in regni societatem vocet, unus populus alteri solum et connubium largiatur. Cuius rei praeclarissimum rex Latinus exhibet exemplum, qui VII, 256. Aeneam videt fatis

Portendi generum paribusque in regna vocari
Auspiciis.

qui XI, 316. agrum etiam Teucris cessurus est et 321. exclamat:

Foederis aequas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus.

Ad quam societatem nequaquam fabula illa notissima de Eteocle et Polynice aliisve, sed poetam patriae suae historia deductum esse reor. Etenim cui non Romuli et Tatii, populi Romani Sabinique coniunctio in mentem veniat? A Sabinis vero sacra religionemque potissimum esse profecta, non solum numina illa Tatii varia apud Dionysium A. R. II, 50. memorata, ὧν χαλε-

πὸν ἐξειπεῖν Ἑλλάδι γλώττῃ τὰ ὀνόματα, sed Numae etiam a Sabina videlicet gente oriundi omnia clamant instituta, ita ut a vero non aberremus statuentes, a Romulo Romanisque arma praesertim esse tractata. Quod si tale duplex ut ita dicam momentum atque elementum in gente illa Romanorum antiquitus confusa nostra quoque aetate agnoverunt rerum gestarum indagatores, nonne memoratu dignum est, ipsius Vergilii testimonio talem differentiam iam esse adoptatam? Etenim Aeneas XII, 190. foedus patraturus et in sollemnia verba iuraturus ait:

Nec mihi regna peto; paribus se legibus ambae
Invictae gentes aeterna in foedera mittant.
Sacra deosque dabo; socer arma Latinus habeto,
Inperium sollemne socer.

Etiam II, 293. Troia Aeneae sacra suosque Penates commendat, atque omnis fere Aeneidis materia in diis religionibusque e Phrygia Italiam transvehendis constat; nusquam vero, quantum scio, talis rerum divinarum et militarium divisio tam dilucide est expressa. Latinus enim arma teneto et sollemne imperium. Lucem adfert Livius I, 13. de Sabinorum Romanorumque coniunctione narrans. »Inde ad foedus faciendum duces prodeunt, nec pacem modo, sed et civitatem unam ex duabus faciunt, regnum consociant, imperium omne conferunt Romam.«

Aequale sed multis tamen rationibus diversum est regni Punici ac Troiani consortium Didonis Aeneaeque connubio inceptum. Iam Anna IV, 44. sperat fore, ut Teucrorum armis Punica se gloria attollat. Iuno IV, 102. cum Venere altercatur:

Communem hunc ergo populum paribusque regamus
Auspiciis; liceat Phrygio servire marito,
Dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae.

(*paribus auspiciis*, ut VII, 256.) cui Venus respondet IV, 110:

Sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam
Esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis
Miscerive probet populos, aut foedera iungi.

Iarbas IV, 214. Didonem increpat, quod

dominum Aenean in regna recepit.

ipsa denique Dido Aeneam IV, 373:

Nusquam tuta fides. Eiectum litore, egentem
Excepi et regni demens in parte locavi.

Revera autem haec societas non rite peracta, quemadmodum illa etiam inter Aeneam Acestemque amicitiae magis et foederis nomine quam regni societatis est comprehendenda. Id igitur teneto,

unam solam inter Latinum Aeneamque esse poetae animo conceptam. Quam utrum in hoc ipso carmine, cui extremam ut scimus manum non imposuit, adhuc fuerit perpetraturus, an obiter tantum indicare voluerit, certis argumentis arduum erit efficiendum.

§. 2.

De iure condendo.

Triplex fere esse solet omnis regia potestas. Constat enim republica magistratibus ordinanda legibusque temperanda, armis deinde tutanda, sacris denique ac religione consecranda ac pianda. Magistratuum electionem Maro parum sectari potuit, quippe quum Aeneas firma nondum sede esset potitus, ceteri vero reges maximam partem bellis detinerentur. Attamen quae regum erat facultas in oppidis fundandis, in senatu convocando postea videbimus. Maxima eorum vis atque auctoritas consistere videtur in iure dicendo vel potius condendo. Eo enim maximopere differunt Homerus atque Vergilius, ut ille ius consuetudine iamiam et more sancitum regum ministerio administrari, hic, ubi nullus adhuc extat legum consensus usu receptus, prima iuris fundamenta condi faciat. Ita Romanorum indoles, qua in legibus condendis prae aliis omnibus semper excelluerunt populis, quasi e speculo elucet. Inde Dido regina I, 507:

Iura dabat legesque viris operumque laborem
Partibus aequabat iustis aut sorte trahebat.

ubi non solum iustitiam esse administratam, sed opera quoque communia viritim distributa observes. Eandem alloquitur Aeneas I, 522:

O regina, novam condere Iuppiter urbem
Iustitiaque dedit gentes frenare superbas.

Ipse Aeneas Cretam advectus oppido novo fundato III, 137:

Iura domosque dabam.

Priamus VII, 246:

Hoc Priami gestamen erat, quum iura vocatis
More daret populis, sceptrumque sacerque tiaras.

Acestes V, 759:

Indicitque forum et patribus dat iura vocatis.

ubi forum indictum e Romana consuetudine notato. Saturnus VIII, 322:

Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit.

Porro terrarum orbe pacato I, 292:

Cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt.

I, 263:

Bellum ingens geret Italia populosque feroces
Contundet moresque viris et moenia ponet.

ubi mores ab omnibus interpretibus leges explicantur. Caesar Georg. IV, 561:

victorque volentis
Per populos dat iura.

Adde ex Elysio VIII, 670:

Secretosque pios, his dantem iura Catonem.

Quae quantopere e Romanorum summorum iuris magistrorum sensu emanaverint, percipies comparando Liv. I, 8: »Rebus divinis rite perpetratis vocataque ad concilium multitudine, quae coalescere in populi unius corpus nulla re, praeterquam legibus, poterat, iura dedit.« XXX, 32: »Roma an Carthago iura gentibus darent, ante crastinam noctem scituros.« Horat. carm. III, 3, 42:

Stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.

Ovid. Fast. III, 61. de Romulo et Remo (plane ut Aen. I, 292.):

Omnibus agricolis armentorumque magistris
Iliadae fratres iura petita dabant.

IV, 61. de Venere:

Iuraque dat coelo, terrae, natalibus undis.

Stat. Silv. V, 3, 185:

Et nunc ex illo forsan grege gentibus alter
Iura dat Eois, alter compescit Iberos.

Ceterum leges aeri incidebantur atque in Capitolio figebantur. Inde Aen. VI, 624:

Fixit leges pretio atque refixit.

ubi Servius: »Possumus Antonium secundum Ciceronem in Philippicis accipere. Fixit autem ideo, quia incisae in aereis tabulis leges adfigebantur parietibus.« Tu confer Cic. Philipp. XII, 5: »Num figentur rursus eae tabulae, quas vos decretis vestris refixistis.« XIII, 3: »Acta Antonii rescidistis, leges refixistis.« II, 36: »Inspectantibus vobis toto Capitolio tabulae figebantur.« Sed in his Vergilius imitatus est Varium de morte:

Vendidit hic Latium populis, agrosque Quiritum
Eripuit, fixit leges pretio atque refixit.

§. 3.
De imperio.

Reges Vergilianos, Aeneam praesertim videmus per omnes belli casus imperium tenere. Belli initium apud antiquos quidem Italos non omnino regum manibus videtur esse demandatum. Poeta enim VII, 611. innuit, tum demum consulem Iani templum reserare, *ubi certa sedet patribus sententia pugnae,* VII, 617:

Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus
More iubebatur tristisque recludere portas.

ubi illud iubebatur fere ad senatus consultum spectat. Omnino vero apud regem Latinum omnia magis e voluntate ducum pendent; in ipsius senatu omnia fluctuant; minore gaudet auctoritate, quam Aeneas, qui in indicendo bello fati potius necessitatem sequitur, in eodem peragendo foedereque feriendo suam auctoritatem voluntatemque. De indicendo animi tantum causa metaphorica illa de Harpyiis dicta adfero III, 234:

Sociis tunc, arma capessant
Edico et dira bellum cum gente gerendum.

Uno tantum loco absente Aenea IX, 226:

Ductores Teucrum primi, delecta iuventus,
Consilium summis regni de rebus habebant.

§. 4.
De pontificia dignitate.

Apud Homerum quum ea tantum sacrificia a rege peragantur, quae ad publicum commodum spectant, multum sane Graecus a Romano poeta differt. Tanta enim rei sacrae religio in Aenea regnat, ut Gellius, Macrobius ac Servius eum interdum pontificem maximum appellaverint. Neque immerito, opinor. Etenim vide modo, ut III, 19. sacra matri Dioneae divisque coeptorum auspicibus fert, III, 62. Polydori funus instaurat, III, 84. Apollinis oraculum sciscitatur, III, 367. Helenum vatem consulit, V, 55. exsequias annuas in Anchisae honorem celebrat, VI, 10. antrum Sibyllae petit, VI, 69. votorum reum se reddit, VIII, 175. Herculem una cum Evandro ad aram maximam veneratur, XII, 175. in verba foederis concepta iurat. Neque solus Aeneas, sed Dido regina I, 632:

Divom templis indicit honorem.

in ipso festo I, 731. Iovem, Bacchum et Iunonem invocat, IV, 58. Cereri, Phoebo, Lyaeo et Iunoni sacrificat, Iarbas IV, 199. centum Iovi templa consecrat, immo III, 80. est

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos.

Cuius moris nullum apud Homerum invenies exemplum, apud quem reges nequaquam certi alicuius numinis existant sacerdotes. Magis etiam mirandus Rhamnes IX, 327:

Rex idem et regi Turno gratissimus augur.

Quibus si lubet addere poteris regis Latini, Evandri, aliorum regum de sacris curam. Quae quum totiens occurrant, non opinandum est, memoriam levem sacrorum e Graecis poetis delibatam originem dedisse, sed quum Aeneae personae manifesto subiectum sit Augusti pontificis maximi exemplar, quum denique publica sacra iam per reges Romanos teste Livio II, 2. olim sint factitata: pontificia cura ac dignitas integram regiae partem effecisse est existimanda.

§. 5.

De regia.

Inter regis insignia ante omnia aedes excelsae atque inter ceterorum praestantes primum locum tenent. Attamen Romani de antiquissima simplicitate gloriantes Romuli casam straminibus confectamipsam regiam videntur appellasse. Quam Vergilius memorat VIII, 654:

Romuleoque recens horrebat regia culmo.

cui compares aptissime Ovid Fast. III, 183:

Quae fuerit nostri, si quaeris, regia nati,
Adspice de canna straminibusque domum.

Eiusdem fere purae et incorruptae formae poeta Evandri regis domum mente finxisse existimandus est, qui non sine animi quadam elatione ad Aeneam VIII, 362:

Haec, inquit, limina victor
Alcides subibat, haec illum regia cepit.

Cui ut in vitae suppellectili apparatuque ita in habitatione opponit regem Latinum in omni genere ditissimum. Ei non casam aliquam aut speluncam, qua moretur, attribuit, sed VII, 170:

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici.

(Vide picturam Vaticanam in Millin. mythol. Galler. Tab. CLXXVI. bis. nr. 651.)

Cui Augusti subesse palatium iam Servius vidit: »Domum, quam in Palatio diximus ab Augusto factam, per transitum laudat, quam quasi in Laurolavinio fuisse commemorat.« Immerito re-

centiores saepenumero interpretes hanc explicationem abiecerunt; omnia enim ita quadrant, ut haec sola species animo Maronis possit esse obversata. *Augustum* vocat tectum, ratione quadam ad nomen ipsius Augusti habita, quemadmodum Ovidius Fast. I, 609—616. ab etymologia huius vocabuli ad heredem tanti cognominis ascendit, atque Trist. I, 1, 70. aperta harum aedium significatione:

Forsitan exspectes, ut in alta Palatia missum
Scandere te iubeam Caesareamque domum.
Ignoscant augusta mihi loca dique locorum.
Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.

Ingens, centum sublime columnis appellat. Quem ornatum quamvis de ipsa Palatina domo non possim demonstrare, Romanorum tamen maxime fuisse vides ex Hecatostylo prope Pompeii theatrum. Cf. Martial. II, 14, 9:

Inde petit centum pendentia tecta columnis:
Hinc Pompeii dona nemusque duplex.

III, 19, 1:

Proxima centenis ostenditur ursa columnis,
Exornant fictae qua platanona ferae.

Urbe fuit summa. Servius ad Aen. IV, 410: »*Arce ex summa*, regum enim fuit, habitare in arcibus propter tutelam. Denique (?) Romae Valerius quum in Esquiliis domum haberet altissimam, invidiae causa eam complanavit. Item Augustus post Actiacum bellum palatium ex suo praecepto aedificatum, quum esset domus privata, donavit reipublicae.« Mos deinde fuit *hic sceptra accipere* »hoc in palatio fiebat« ait Servius ratione sine dubio posteriorum imperatorum Romanorum habita; et 175:

Hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

ubi idem: »Hoc sacrificium in ianua palatii fiebat diebus festis.« 174:

Hoc illis curia templum.

Quod Servius ad Aen. XI, 234., ubi in easdem Latini aedes concilium principum convocatur, explicat:

Ergo concilium magnum primosque suorum
Inperio accitos alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis.

»Quaeritur cur ad privatam domum convocetur senatus, qui nonnisi ad publica et augurato condita loca convenire consuerit. Sed scimus domum Latini augurato conditam, et eandem tam templum fuisse, quam curiam — — — Idcirco etiam in Palatii atrio,

quod augurato conditum est, apud maiores consulebatur senatus: ubi etiam arietes immolabantur, quod, ut in VII. diximus, Vergilius ad Latini transtulit domum.« De regis Latini porro regia intelligendi sunt VII, 668:

[Pulcher Aventinus] *sic regia tecta subibat.*

XI, 447:

Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit.

XI, 368:

Et si adeo dotalis regia cordist.

IX, 737:

Non haec dotalis regia Amatae.

Non omnino patet, quaenam sint aedes, quibus corpus Pallantis XI, 38. servetur, priusquam ad Evandrum patrem mittatur:

Maestoque inmugit regia luctu.

Denique palatium Didonis I, 631. apparet:

Simul Aenean in regia ducit
Tecta.

Translate igitur hac voce utitur poeta, partim de spelunca monstri illius igniferi, partim de Iovis ipsius altis aedibus loquens VIII, 241:

At specus et Caci detecta adparuit ingens
Regia.

VII, 210.

Aurea nunc solio stellantis regia caeli
Accipit.

§. 6.

De trabea.

Apud omnes fere populos reges veste semper erant insigniti, unde factum est, ut Romanorum senatus, quem revera tanquam regem amicum voluit agnoscere, ei purpuratam togam vel tunicam mitteret. Cuius moris poeta participem facit Latinum, qui Aeneae XI, 334. mittit:

Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

ubi Servius: »Romanorum enim imperatorum insigne fuit sella curulis et trabea.« Adde Liv. I, 41: »Servius cum trabea et lictoribus prodit, ac sede regia sedens alia decernit.« Plin. N. H. VIII, 74: »Trabeis usos accipio reges.« IX, 63: »Purpurae usum Romae semper fuisse video, sed Romulo in trabea. Nam toga praetexta et latiore clavo Tullum Hostilium e regibus primum usum

Etruscis devictis satis constat.« Lydus de magistr. P. R. I, 7: *Καὶ πρὸ Ῥωμύλου ἐπίσημα τῆς Λατίνων βασιλείας ἦν θρόνος ὁ δρύφακτος καὶ στολὴ ἡ λεγομένη παρ' αὐτοῖς τραβαία· ποδαπὴ δέ τις ἦν, μικρὸν ὕστερον ἐρῶ. ὅθεν ὁ Ῥωμαίων ποιητής, ἐν βιβλίῳ ἑβδόμῳ τῆς Αἰνηίδος Λατίνου διαγράφων βασιλείαν, θρόνου καὶ τραβαίας διαμέμνηται — — ἡ μέντοι τραβαία μόνου τοῦ ῥηγὸς ἐτύγχανε παρατοῦρα, οἱονεὶ στολὴ ἐπίσημος. χιτὼν δὲ ἦν καὶ περιβόλαιον ἡμικύκλιον, ὃ πρῶτον Ἀγαθοκλέα τὸν Σικελίας τύραννον ἐξευρεῖν λόγος.* Non dubitandum igitur, quin Georg. II, 495: ***purpura regum*** eadem a Marone cogitetur, quam supra tanquam regni insigne mitti audivimus. Eiusdem vero instituti vestigium agnosco VII, 245., ubi Ilioneus, legatus Aeneae, regi Latino munera quaedam fert, quorum cum Romana consuetudine conspirantem ac paene conflatum consensum postea perspiciemus, in iisque postremo loco 248:

Iliadumque labor vestes.

Quaenam eae sint vestes, partim e loco XI, 334. iam allato, partim videmus e Livii XXVII, 4: »Senatus non legatis [regis Syphacis] modo benigne respondit, sed et ipse legatos cum donis ad regem misit, L. Genucium, P. Poetelium, P. Popilium. Dona tulere togam et tunicam purpuream« — — Protinus et alios Africae regulos iussi adire, iis quoque quae darentur portata, togae praetextae.« Togas vero praetextas quoque regum inde a Tullo Hostilio fuisse, e Plinio modo novimus. Ceterum illae *Iliadumque labor vestes* VIII, 248. postea 251. *purpura picta* revera nominantur. Huc referenda duxi dona, quae Aeneas I, 647. Didoni reginae ferri iubet:

Munera praeterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre iubet, pallam signis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivae Helenae.

Ornatum hoc loco reginae describi, non solum e sceptro coronaque, quae adduntur, verum ex eo potissimum patet, quod Helenae olim fuisse perhibetur. Verum pallam praecipue non sine exemplo e Romanorum historia proferri, animadvertas ex eodem Livii loco, ubi reginae eadem communicatur: »Et Alexandriam ad Ptolemaeum Cleopatramque reges M. Atilius et M'. Acilius legati ad commemorandam renovandamque amicitiam missi dona tulere regi togam et tunicam purpuream cum sella eburnea, reginae pallam pictam cum amiculo purpureo.« Quibus quum id effectum sit, ut purpuram et regis et reginae esse negari nequeat, non mirabimur, si bellatricem illam virginem Camillam turba prospectat VIII, 814:

Attonitis inhians animis, ut regius ostro
Velet h o n o s levis umeros.

Vergilio vero novimus alia etiam occasione publica oblata posteriore aetate in usu fuisse trabeam, in Iani templo recludendo VII, 612:

Ipse Quirinali tr a b e a cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina consul.

quem locum explicat Isidorus XIX, 24, 8: »Trabea erat togae species ex purpura et cocco, quo operti Romanorum reges initio procedebant. Hanc primum Romulus adinvenisse perhibetur, ad discretionem regum habitus.« et §. 7: „Cinctus Gabinus est, cum ita imponitur toga, ut togae lacinią, quae post secus reiicitur, attrahitur ad pectus, ita ut ex utroque latere ex humeris picturae pendeant, ut sacerdotes gentilium faciebant, aut cingebantur praetores.“ Servius addit: „Hoc autem vestimenti genere utebatur consul bella indicturus, ideo quia cum Gabii Campaniae civitas sacris operaretur, bellum subito evenit. Tunc cives cincti togis suis ab aris ad bella profecti sunt et adepti victoriam.“ Picus etiam VII, 187:

Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea laevaque ancile gerebat.

§. 7.

De sella.

Non trabeam solum, sed *et s e l l a m regni* Latinum XI, 334. misisse audivimus, quam curulem esse, magnopereque a *ξεστοῖσι λίθοισιν ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ* Homericis differre pueri fere vident. Haec sella quum iis Romae attribueretur, qui triumphali curru invecti fuissent, ut Servius monet (cf. Liv. X, 7): apposite Romani eam regibus miserunt, quos amicitia sibi iunctos consulibus et imperatoribus suis aequales habuerunt. Tria in promptu sunt huius moris exempla. Legati enim ad Syphacem profecti apud Liv. XXVII, 4: »dona tulere togam et tunicam purpuream, s e l l a m e b u r n e a m — —« et Ptolemaeo »regi togam et tunicam purpuream cum s e l l a e b u r n e a.« XLII, 14: »Eumeni vero conspiratio adversus eum [Persea] favorem apud Romanos fecit; ita omnes ei honores habiti, donaque quam amplissima data cum s e l l a c u r u l i atque eburneo scipione.“

Apud Vergilium vero haec sella totiens fere conspicitur, quotiens solium nominatur. (Lyd. de magistr. P. R. I, 7: *Τὸν δὲ θρόνον*

σόλιον ἐπιχωρίως ὠνόμαζον κ. τ. λ.) Quamvis enim θρόνος, qui apud Homerum est, quasi primum animo infigere potuerit semen atque imaginem, attamen non hunc imitatus esse dici potest, quippe qui et aliis v. g. cantoribus hospitibusque apponeretur; sed quum constanter a poeta nostro solium regibus tribuatur, patet insigne regni hoc ipsi fuisse. Ita Dido I, 506:

Saepta armis solioque alte subnixa resedit.

ubi Servius: „Abusive sellam regalem accipimus.“ rex deinde Latinus VII, 168:

Ille intra tecta vocari
Inperat et solio medio consedit avito.

XI, 301:

Praefatus divos solio rex infit ab alto.

Ut simplicitatem regis Evandri testetur, non eburneam, sed acernam illi concedit sellam VIII, 178:

Accipit Aenean, solioque invitat acerno.

In Evandri aedibus rex Aeneas VIII, 541:

Haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto.

Rex Mezentius X, 852:

Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.

ubi sceptra addita manifesto regiam dignitatem solio quoque communicant; denique rex superum atque inferum solium habet XII, 849:

Hae Iovis ad solium sacrique in limine regis
Adparent.

VI, 396:

Ipsius a solio regis traxitque trementem.

Quod solium quum eburneum sit, nescio an III, 464. ubi Helenus Aeneae

Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto
Inperat ad navis ferri,

sella potius, quam sceptrum, fuerit donata. Tale quid menti poetae insedisse videtur, quamvis cetera ibi munera partim ad usum privatum, partim ad rem militarem pertinentia regibus donari sint solita.

Stipatque carinis
Ingens argentum, Dodoneosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem
Et conum insignis galeae cristasque comantis.

Argenti, vasorum argenteorum, armorum regibus datorum haec habeto e Livio exempla XLV, 44: „Cum hoc responso Prusias est dimissus. Munera ei ex (?) sestertiis iussa dari, et vasorum

argenteorum pondo quinquaginta." Regulo quoque Gallorum, Balano XLIV, 14. praeter alia, quae postea commemorabimus, equus phaleratus et arma equestria missa sunt. Adde XLIII, 5: „Munera mitti legatis ex binis milibus aeris censuerunt, duobus fratribus regulis haec praecipua, torques duo ex quinque pondo auri facti et vasa argentea quinque ex viginti pondo et duo equi phalerati cum agasonibus et equestria arma ac sagula et comitibus eorum vestimenta liberis servisque." Ceterum etiam Anchisae Helenus Aen. III, 470: *Addit equos*.

§. 8.
De patera.

E reliquiis Troiae exustae, quae ab Ilioneo iubente Aenea ad regem Latinum apportantur, unum erat donum, quod maximopere initio mirabar, VII, 245:

Hoc pater Anchises auro libabat ad aras.

Aurum enim, quo libatur, pateram esse auream et per se patet, et e Georg. II, 192:

Pateris libamus et auro.

Servius quoque ad nostrum locum: »Pateram significat.« Verum altiorem inhaerere vim, poetae ingenium testatur. Quum enim regia potestas e sensu Romano non iure solum dicundo, civitate administranda, verum etiam sacrificiis rite litandis constet, patera aurea regibus oblata pontificia dignitas indicatur. Huius quoque muneris sat praebet exempla Romanorum historia v. g. Liv. XXVII, 4: [Legati ad Syphacem missi] »dona tulere togam et tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram ex quinque pondo auri factam. Protinus et alios Africae regulos iussi adire iis quoque, quae darentur, portata, togae praetextae et terna pondo paterae aureae.« XLIV, 14: »Dum bellum in Macedonia geritur, legati Transalpini ab regulo Gallorum — Balanos ipsius traditur nomen, gentis, ex qua fuerit, non traditur — Romam venerunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia. Gratiae ab senatu actae muneraque missa torquis aureus duo pondo et paterae aureae quattuor pondo, equus phaleratus armaque equestria.«

§. 9.
De torque.

Didoni reginae Aeneas non pallam solum mittit, sed sceptrum, coronam, I, 654:

colloque monile

Bacatum.

Quod quamvis sane possit revera esse nil nisi ornatus femineus, qualis v. g. in tabulis Pompeianis inveniri solet, attamen quum cetera tantopere cum iis, quae apud Livium frequentia sint munera et insignia regalia, conspirent, nescio an torquis in animo fuerit poetae, quem regibus non raro senatus est largitus. Cf. Liv. XLIV, 14., ubi regi Gallorum Balano torquis aureus duo pondo, XLIII, 5., ubi duobus fratribus regulis torques duo ex quinque pondo auri facti mittuntur. Verum quum hi Galli sint, apud quos torquis honorum insigne exstitit, conieceris fortasse non immerito, huius praecipue populi hunc esse ornatum, regiae igitur dignitatis nullum inesse indicium. Attamen quum medius inter cetera apud Vergilium dona regia appareat, Romanorum quoque ipsorum militum fuerit honos, illi iam explicationi lectorem se ingratum non praebiturum esse existimo.

§. 10.

De corona sceptroque.

Duo hic coniungimus insignia, quae, quin regum sint, nemo unquam homo dubitaverit. Coniuncta sunt inter dona Didoni ab Aenea dispensata I, 653:

Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxuma natarum Priami, colloque monile
Bacatum et duplicem gemmis auroque coronam.

Mirum sine dubio est, filiam regis Priami sceptrum gestare. Apud Homerum, quantum scio, duplex est sceptri forma ususque, alia regum, qui σκηπτοῦχοι nominantur, hastarum non dissimilis, alia praeconum, quam caducei esse indicant artis monumenta plura in Inghirami galleria Omerica depicta, nisi posterioris aetatis mos antiquitati fuerit intrusus. Feminam ullam vel Helenam ipsam scipionem manu tenere, nusquam compertum habeo. Quodsi igitur Vergilius non e Graeco aliquo Romanove poeta hunc morem adoptarit, Ilionam quoque Priami filiam natu maximam et Polymnestoris Thracum regis coniugem, tanquam reginam adumbrare voluit. Servius Danielis: „Et quaeritur, utrum hoc sceptrum de Thracia, an de Troia sublatum; quidam Aeneae ab Iliona datum dicunt; sed quamvis apta nupturae reginae sint munera, tamen futurorum malorum continere omen videtur.“ In quae verba non omnino iuraverim. Id saltem constat, sceptro et corona coniunctis regiam

dignitatem tam hic indicari, quam VII, 246. inter munera Latino oblata:

Hoc Priami gestamen erat, cum iura vocatis
More daret populis, sceptrumque sacerque tiaras.

ubi tiaram coronae locum sustinere unusquisque videt. Quemadmodum vero Ilione sceptrum gestat, ita Lavinia virgo VII, 75. dicitur habere *coronam Insignem gemmis*, quamvis nondum regi sit nupta. Evander porro VIII, 505. narrat:

Ipse oratores ad me regnique coronam
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon.

XII, 161:

Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen.

De Caesare Florus IV, 2: „Circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona, suggestus in curia, fastigium in domo.« Sueton. August. 94: „Videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine et sceptro, exuviisque Iovis optimi maximi, ac radiata corona, super laureatum currum.“ Ceteri loci — eorum magna praesto est copia — quibus sceptrum nominatur, vix ullum Graeci aut Romani moris vestigium continent. Illud tantum concesserim, sceptrum XII, 206. a Latino patribusque Latinis 211. gestatum ex Homerica manifesto imitatione esse desumptum. Attamen sceptrum quum tot populis fuerit commune, quum porro, quem Romanorum imperatores triumphantes manu gestare solebant, scipio eburneus aquila insidente nil nisi id ipsum esset, vix adfirmari poterit, de Graecis illud esse depromptum. Cf. Liv. XLII, 14: [Eumeni] „donaque quam amplissima data cum sella curuli atque eburneo scipione.“ Dionys. Halic. A. R. III, 61: *Καὶ σύμβολα τῆς ἡγεμονίας, οἷς ἐκόσμουν αὐτοὶ τοὺς σφετέρους βασιλεῖς, κομίζοντες, στέφανόν τε χρύσεον, καὶ θρόνον ἐλεφάντινον, καὶ σκῆπτρον ἀετὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, χιτῶνα τε πορφυροῦν χρυσόσημον, καὶ περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον, οἷα Λυδῶν τε καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς, πλὴν οὐ τετράγωνόν γε τῷ σχήματι, καθάπερ ἐκεῖνα ἦν, ἀλλ᾽ ἡμικύκλιον.* Idem III, 62: *σκῆπτρον ἐλεφάντινον* appellat. Lydus de magistr. P. R. I, 7: *Τῷ γε μὴν Ῥωμύλῳ καὶ στέφανος ἦν καὶ σκῆπτρον ἀετὸν ἔχον ἐπ᾽ ἄκρου.* Coronam vero animadvertas velim nusquam apud Homerum, neque trabeam inveniri.

§. 11.

De quadriga.

Quadrigam quoque ad insignia pertinere regia, poterit aliquis e XII, 161, suspicari:

Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru.

Attamen obiicietur sine dubio, quod statim 164: *bigis it Turnus in albis.* Verum Turnus quum et iunior sit et non ut rex, sed ut bellator pugnam commissurus hic appareat, nequaquam obstat. Adiuvat etiam suspicionem nostram Dionysius A. R. II, 33: *Τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς [ὁ Ῥωμύλος] ἐπορεύετο, ἐσθῆτα μὲν ἠμφιεσμένος ἁλουργῆ, δάφνῃ δὲ κατεστεμμένος τὰς κόμας, καὶ ἵνα τὸ βασίλειον ἀξίωμα σώζῃ, τεθρίππῳ παρεμβεβηκώς.*

§. 12.

De consulum insignibus.

Consulatum in carmen intrudere poeta omnino non potuit, quum pueris Romanis annus, quo primi erant creati, ita esset tritus, ut cachinnum movisset, si tali errore poetico antiquitatem illam regiam maculasset. Semel tantum historico modo cum ad Belli portas VII, 611. memorat:

Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae,
Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina consul.

Consul Quirinali, id est, regia trabea induitur; nam, Livio II, 1. teste „omnia iura, omnia insignia primi consules tenuere.“, *cinctuque Gabino.* Servius: „Gabinus cinctus est toga sic in tergum reiecta, ut ima eius lacinia a tergo revocata humerum cingat. Hoc autem vestimenti genere utebatur consul bella indicturus; ideo, quia quum Gabii Campaniae civitas sacris operaretur, bellum subito evenit. Tunc cives cincti togis suis ab aris ad bella profecti sunt et adepti victoriam.“ Fasces vero lictorum insigne Vergilius iam regibus tribuit VII, 173:

Hinc sceptra accipere et primos attollere fasces
Regibus omen erat.

quanquam hunc locum ita explicare malim, ut duo regiae potestatis insignia quodammodo a poeta inscio ad dignitatem ineundam relata esse rear. *Attollere fasces* poetico erit loquendi genere idem fere

quod regnum inire. Porro Anchises Aeneam VI, 819. interrogat, an velit animam:

Ultoris Bruti fascesque videre receptos.

De homine rei publicae tempestatibus non agitato dicit poeta Georg. II, 495:

Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit.

ubi populi fasces ne mireris, quae supra regum erant, quum consulatus ab origine magistratus fuerit populi adversus regum superbiam creatus. Ex quo loco sua hausit, ut hoc obiter moneam, falsus ille Vestritius Spurinna II, 16:

Non illum [populi] fascibus arduum
Versat nobilitas mala.

§. 13.

De quaesitore et iudice.

De criminibus capitalibus inquirendis Romae praetor erat constitutus, qui quaesitor appellabatur, eique videtur iudex additus esse, qui, quae quaesitor eruerat, legibus temperaret ac decerneret. Quam rei condicionem maxime videmus e Ciceronis Verr. I, 10: „Duo igitur consules et quaesitor erunt ex illius voluntate. Non solum effugiemus, inquit, hominem in quaerendo nimium diligentem, nimium servientem populi existimationi, M' Glabrionem: accedet nobis etiam illud. Iudex est M. Caesonius, collega nostri accusatoris, homo in rebus iudicandis spectatus et cognitus: quem minime expediat esse in eo consiilo ....“ ubi, qui Pseudo-Asconius hodie nominatur, animadvertit: „Praetor de pecuniis repetundis quaestionem exercens. Nam proprie quaesitores dicuntur criminalium quaestionum, ut Vergilius: Quaesitor Minos urnam movet.“ Adde Varron. L. L. V. §. 81: „Quaestores a quaerendo, qui conquirerent publicas pecunias et maleficia, quae triumviri capitales nunc conquirunt; ab his postea, qui quaestionum iudicia exercent, quaestores dicti.“ Manil. Astron. V, 409:

Quumque fidis magno succedunt sidera mundo,
Quaesitor scelerum veniet, vindexque reorum,
Qui commissa suis rimabitur argumentis,
In lucemque trahet tacita laetantia fraude.

Arnob. adv. gent. IV, 16: „Aut quis quaesitor, quis arbiter cervicibus tantis erit, qui inter personas huiusmodi aut vindicias iustas dare, aut sacramenta pronuntiare non iusta?“ Quibus e locis luce clarius efficitur, quaesitorem probe distinguendum esse et a iudice et a vindice. Probe igitur intelliges Aen. VI, 431:

Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice sedes:
Quaesitor Minos urnam movet; ille silentum
Conciliumque vocat vitasque et crimina discit.

neque Laur. Lydi de mag. I, 25. futili explicatione te seductum iri sines, qui rem omnino in contrarium vertit: *Ζητῆσαι δὲ ἀξιόλογον εἶναι νομίζω, τί μέν ἐστι κυαίστωρ, τί δὲ κυαισίτωρ — — κυαίστωρ τοίνυν ὁ ζητητής, ἀπὸ τοῦ* quaerere *οἷον ἐρευνᾷν· οἱ γὰρ παρ' Ἕλλησιν ἐρευνάδες παρὰ Ῥωμαίοις κυαίστωρες ὠνομάσθησαν. κυαισίτωρ δὲ ὁ τιμωρός — — ἐπὶ γὰρ τοῦ μόνου Μίνωος τοῦ Κρητός, ὅς γε ἐσθαι τιμωρὸς κατὰ τὸ μυθικὸν τῶν ἐν Ἅιδου ψυχῶν ἐνομίσθη, τὸ κυαισίτωρος ὄνομα ὁ Ῥωμαίων ποιητὴς ἐν ἕκτῳ τῆς Αἰνηΐδος τέθεικεν.* Immo quaesitor est *ζητητής*, ut e versibus illis luculenter apparet. Ille *urnam movet*, quod ab aliis iam recte explicatum est, iudices sortitur, ad quam sortitionem versus: *Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice sedes.* referendus est. Cf. Senec. Herc. fur. 731:

Non unus alta sede quaesitor sedens
Iudicia trepidis sera sortitur reis.
Auditor illo Gnosius Minos foro,
Rhadamanthus illo, Thetidis hoc audit socer.

Rem maxime inlustrat Pseudo-Ascon. ad Cic. Verr. I. §. 17: „Moris erat, celebrata iudicum reiectione et haberi in officio praetoris et in arca reponi nomina iudicum delectorum. Reiectio autem idcirco dicitur, quia, quum multi iudices in consilium a praetore suo advocandi essent, qui quaestor fuisset in publica causa, verbi gratia repetundarum, ambitus, maiestatis, necesse fuerat eos primum de decuria senatoria conscribi, quum senatus iudicaret, deinde in urnam sortito mitti, ut de pluribus necessarius numerus confici possit....“ Qua sortitione peracta Minos *silentum concilium vocat* i. e. animas in iudicium vocat *vitasque et crimina discit* ac quaestionibus ex ipsis et e testibus habitis de eorum criminibus cognoscit. Neque vero Minos graviores poenas in eos, qui amore caeco peracti manum sibi intulerunt, videtur exercuisse, VI, 566:

Gnosius haec Rhadamanthus habet, durissima regna,
Castigat auditque dolos, subigitque fateri,
Quae quis apud superos, furto laetatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.

Hic igitur non quaestione, sed tormentis eos, qui dolo malo furtoque iustitiam viventes violaverunt, ut fateantur, cogit, ac causa cognita carnifici illico tradit:

Continuo sontis ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans anguis vocat agmina saeva sororum.

Ceterum notandum, flagellationem quum morem Romanum redolere, tum servilem fuisse poenam. Cf. Mac. Dig. XVIII, 19 (de poenis). §. 10: „In servorum persona ita observatur, ut exemplo humiliorum puniantur. Et ex quibus causis liber fustibus caeditur, ex his servus flagellis caedi et domino reddi iubetur, et ex quibus liber fustibus caesus in opus publicum damnatur, ex his servus sub poena vinculorum ad eius temporis spatium, flagellis caesus, domino reddi iubetur."

§. 14.

De senatu.

Inter omnes, quibus Romanorum res publica insignita erat, magistratus principatum semper obtinuit senatus. Cuius consulta per omne liberae civitatis tempus tantam spirant dignitatem, ut qui, quod maxime optandum est, ea olim colliget, plurima decreta sapientissima ore gravissimo edicta maiestatem superciliumque Romani sensus probantia proponet. Quid ergo mirum, quod poeta non potuit, quin eum temporibus Troianis tribueret? Quamvis enim γερόντων iam apud Homerum consessu aliquis defendere velit senatum Vergilianum, attamen ab eo discrepat, quod ibi revera seniores quasi ex paterna vel patriarchali, quam vocant, auctoritate ad consulendum semper sint parati, neque populi voluntate eligantur. Apud Vergilium autem Carthaginienses I, 426:

Iura magistratusque l e g u n t sanctumque s e n a t u m.

qua electione democraticam quandam indolem poeta Carthagini concedit. Aeneas quoque III, 58:

D e l e c t o s populi ad proceres primumque parentem
Monstra deum refero, et, quae sit sententia, posco.

quod ex ea ratione instituit, qua prodigia Romae ad senatum semper referebantur, cuius innumeram apud Livium poteris habere copiam v. g. XXII, 1: „His, sicut erant nuntiata, expositis, auctoribusque in curiam introductis, consul de religione patres consuluit." XLV, 16: „De prodigiis deinde nuntiatis senatus est consultus." Ceterum versui 58. grammatica difficultas inest. Quaeri enim potest, utrum *primum* sit adverbium (primo loco) an adiectivum, ita ut primus procerum delectorum vel senatus i. e. princeps significetur. Quodsi II, 260. comparamus:

Laetique cavo se robore promunt
Thessandrus Sthenelusque duces et dirus Ulixes,
Demissum lapsi per funes, Acamasque Thoasque
Melidesque Neoptolemus primusque Machaon.

adverbium esse putabimus, sin VIII, 281:

Iamque sacerdotes primusque Potitius ibant.

alteri magis explicationi favebimus. Fateor me rem simplicem ad liquidum nequaquam perducere potuisse. Videant viri docti. Apud Evandrum porro tura dant VIII, 105:

Una omnes iuvenum primi pauperque senatus.

Rex Latinus, quum pax ab Aenea est petenda, XI, 234:

Ergo concilium magnum primosque suorum
Inperio accitos alta intra limina cogit.

XI, 304:

Et vellem et fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, cum muros adsidet hostis.

XI, 460:

Cogite concilium et pacem laudate sedentes.

XI, 469:

Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit.

Verum ex hoc ipso senatu apud regem Latinum convocato apparet, quotiens apud Maronem *patres* nominentur, neminem nisi illum ipsum senatum animo poetae esse obversatum. Etenim Turnus haec convicia XI, 378. in Drancem iactat:

Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi
Tum, cum bella manus poscunt; patribusque vocatis
Primus ades. Sed non replendast curia verbis.

quibus poeta, nullus dubito, quin senatores suae aetatis loquaciores tetigerit. Consul deinde Iani templum aperit, VII, 611:

Ubi certa sedet patribus sententia pugnae.

Senatores igitur, non gentes, spectantur iis locis, quibus *patres* et *populus* coniunguntur, ut VIII, 678:

Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
Cum patribus populoque, Penatibus et magnis dis.

Inde non solum apud regem Latinum, Evandrum, populum Romanum ipsum, sed apud ceteras quoque gentes memorantur, v. g. Carthaginienses, quos sanctum senatum sibi elegisse I, 426. vidimus, IV, 682:

Extinxi te meque, soror, populumque patresque
Sidonios urbemque tuam.

Troiani IX, 192. exposcunt:

Aenean acciri omnes, populusque patresque.

Memorantur I, 7:

Albanique patres adque altae moenia Romae.

ubi aliquam aliquo iure possis iniicere dubitationem, utrum patres hoc loco sint ipsi civitatis primores, gentes nobiliores, an senatores. Neque minus est mirandum, quod Acestes V, 757. nova urbe condita regnum suscipit,

Indicitque forum et patribus dat iura vocatis.

Abhorret enim a Romani senatus maiestate, ut leges illi scribantur. Quapropter Servii quoque explicatio rem in ambiguo relinquit: „Dat condendi iuris potestatem his, quos appellaverat patres, aut certe vocatis patribus iura distribuit." Verum *patribus vocatis* non est appellatis, sed convocatis, ut XI, 379. *Iura dare* ita sane possis e nostro sensu accipere, ut privilegia iis concessa arbitreris; verum hoc quoque a vulgari ac trita significatione nimis alienum. Difficultas ita alicui videatur esse expedienda. Acestes quum summum in sua civitate recens condita imperium obtineat, non forum solum indicit i. e. non populo tantum leges figit, sed, ut Romulus, senatores creat, eorumque potestatem legibus circumscribit. Quanquam simplicissimum erit statui, *patribus vocatis* non dativum esse, sed ablativum absolutum. Denique senatus dicitur etiam pater IX, 449:

Inperiumque pater Romanus habebit.

§. 15.

De curia.

Quo senatus Romanus convocabatur aedificio, curia appellata est. Nominatur curia XI, 380:

Sed non replendast curia verbis.

quam in tectis regiis esse XI, 236. vidimus. Talem etiam describit poeta I, 505. templum Iunonis, quippe quo leges a Didone dentur variaque urbis condendae opera distribuantur:

Tum foribus divae, media testudine templi,
Saepta armis solioque alte subnixa, resedit
Iura dabat legesque viris, operumque laborem
Partibus aequabat iustis aut sorte trahebat.

Sed ne miremur, templum his negotiis publicis consecrari vel, ut nos putaverimus, profanari, meminerimus, quod VII, 173. eadem, quae regia Latini, templum Pici et ipsa sit curia:

Hic sceptra accipere et primos attollere fasces
Regibus omen erat, hoc illis curia templum.

Romae saepenumero senatus in deorum aedibus est habitus Liv. XXX, 21: „Q. Fulvius Gillo, legatus Scipionis, Carthaginienses Romam adduxit, quibus vetitis ingredi urbem hospitium in villa publica, senatus ad aedem Bellonae datus est.“ XXXI, 47: „L. Furius — — Romam inopinato quum venisset, senatum in aede Bellonae habuit, expositisque rebus gestis, ut triumphanti sibi in urbem invehi liceret, petit.“ XXXIII, 24: „Ad aedem Bellonae senatus est habitus.“ XLI, 6: „Per eos dies Ti. Sempronius Gracchus et L. Postumius Albinus ex Hispania Romam quum revertissent, senatus iis a M. Titinio praetore datus in aede Bellonae ad disserendas res, quas gessissent, postulandosque honores meritos, ut diis immortalibus haberetur honos.“ XLII, 21: »Priusquam proficiscerentur consules, C. Cicereio praetori prioris anni ad aedem Bellonae senatus datus est.“ XLII, 28: „Itaque non secundis auribus patrum auditus est consul, quum in aede Bellonae de rebus in Liguribus gestis dissereret.“ XXXIV, 43: »Legati Nabidis tyranni Romam venerunt. Eis extra urbem in aede Apollinis senatus datus est.« XXXIX, 4: [M. Fulvius] „ad aedem Apollinis in senatu quum de rebus in Aetolia Cephalleniaque ab se gestis disseruisset...“ XLI, 22: „Compertum tamen adfirmaverunt, legatos ab rege Perseo venisse, iisque noctu senatum in aede Aesculapii datum esse.“ Apud Salustium Cat. 49. senatus in aede Concordiae convenit. Rem quam maxime inlustrat Festus: „Senacula tria fuisse Romae, in quibus senatus haberi solitus sit, memoriae prodidit Nicostratus in libro, qui inscribitur de senatu habendo, unum, ubi nunc est aedis Concordiae inter Capitolium et Forum, in quo solebant magistratus D. T. cum senioribus deliberare, alterum ad portam Capenam, tertium citra aedem Bellonae, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, senatus dabatur.“

§. 16.

De populo.

Quod Vergilius totiens una cum patribus populum iungit, Romanorum exemplar ob oculos habuit. Non enim populus illi est δῆμος vel plebs, sed civium, qui sui iuris sunt, universa communio. Altiorem quandam doctrinam poetam hac in re carmini infudisse non arbitror. Attamen tria temporum et popularium vestigia remanserunt, quorum primum X, 201. continetur, ubi ***Mantua dives avis*** nominatur. Poeta enim ad aristocraticam illam indolem, ni omnino fallor, spectat, gentibus Romanorum nobilioribus vehementer pro-

batam. Huius indolis non solum orationes testes sunt funebres in gloriam maiorum habitae, sed longa praecipue avorum series, quorum imagines ceratas in atrio servabant. Secundum vestigium est XII, 519:

Arcada piscosae cui circum flumina Lernae
Ars fuerat pauperque domus, nec nota potentum
Munera, conductaque pater tellure serebat.

quo poeta pauperem civem delineat, cui *munera potentum* adhuc sint incognita. Posteriora Servius falso explicat: „obsequia, quae pauperes divitibus loco munerum solvunt." Primo enim observandum est, Maronem indignum aliquid notare, quod civis ille mediocri loco natus nondum in se commiserit. Pauperem vero obsequia ditiori praestare, nullam per se in praebentem contumeliam contrahit; deinde revera munera dat, quum agrum conductum colat, domino igitur fundi pecuniam vel fruges solvere ipsum oporteat; denique munera non sunt obsequia loco munerum, sed dona. Cf. Aen. I, 636. VII. 244. *Potentum munera* ergo dona a potentibus data pauperibus significant. Tangit poeta, ut verbo dicam, temporum suorum nequitiam, qua, qui magistratum erant petituri vel aliam ob causam plebi adulaturi, immensam et aeris et publici muneris copiam profuderunt, eaque ratione mores civium pauperum in dies corruperunt. Talis corruptelae piscator ille nondum compos factus erat. Tertium est in comparatione, idque enucleate ostendit, quantopere Vergiliana ab Homerica differat, argumentum nondum satis explicatum, I, 148:

Ac veluti magno in populo cum saepe cohortast
Seditio, saevitque animis ignobile volgus;
Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat;
Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.

Quam diversa haec ab Homero Il. II, 144:

Κινήθη δ' ἀγορή, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης,

ubi res humana cum natura confertur, apud Vergilium vero mare per Neptunum sedatum cum re quadam gesta! Quam distincte deinde singula seditionis momenta apud Vergilium lectoris sunt ob oculos proposita! Perniciosae enim Marii Sullaeque turbae, notissimae clades Gracchanae talis speciei probe poterant ansam dare. *Ignobile volgus* quippe poeta notat plebem nullo maiorum nomine, nullis imaginibus insignem. Faces dicit saxaque volare, quorum posteriora saltem a Plutarcho Tib. Gracch. 19. memorantur: *Τῶν δ' ἄλλων ἀπέθανον ὑπὲρ τριακοσίους ξύλοις καὶ λίθοις συγκοπέν-*

τες, σιδήρῳ δ' οὐδείς. Non enim concessum erat, ut cives Romani in concionem armati prodirent; ergo *furor arma ministrat.* Si vero in huiusmodi tumultu vir pietate et meritis gravis, iis itaque virtutibus, quas Romani summas iudicabant, ornatus in medium procedit, ut Scipio, Cato, omnis illico tempestas sedatur. Ita senatores apud Liv. II, 29. iactant, „unum hercule virum — id enim plus esse quam consulem — qualis Ap. Claudius fuerit, momento temporis discussurum illos coetus fuisse.“

§. 17.
De tribubus.

Antiquissimum populum Romanum in tres tribus esse distinctum, narrat Livius I, 13. „Eodem tempore et centuriae tres equitum conscriptae sunt, Ramnenses ab Romulo, ab Tito Tatio Titienses appellati. Lucerum nominis et originis causa incerta est.“ Quas tribus olim suspicatus sum a poeta significari VIII, 638., quum post Sabinarum raptum novum consurgere dicit bellum:

Romulidis Tatioque seni Curibusque severis.

ubi Romulidis Ramnes, Tatio Tities, Curibus Luceres conveniant; sed hoc de Curibus vel Quiribus argumentis certioribus efficere nequeo. (Servius ad easdem V, 560. *tres equitum numero turmas* refert.) Tribuum etiam rationem Mantua, si Vergilium X, 201. audimus, habuit:

Mantua, dives avis; sed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni;
Ipsa caput populis; Tusco de sanguine vires.

Servius: „quia Mantua tres habuit populi tribus, quae et in quaternas curias dividebantur, et singulis singuli Lucumones imperabant, quos in tota Tuscia duodecim fuisse manifestum est: ex quibus unus omnibus praeerat. Hi autem totius Tusciae divisas habebant quasi praefecturas, sed omnium populorum principatum Mantua possidebat.“ Dubitatum est, an *gens* possit tribum significare. Hoc loco puto. Ut enim a generali illa vi discedatur τοῦ γένους, quae huic vocabulo inest, ita ut probe φυλὴν γενικήν indicare videatur: populi quaterni sub gente triplici ad maiorem aliquam vel Tuscorum nationis ipsius vel eorum terrae divisionem spectent oportet. Ceterum de duodecim Etruriae populis vel δήμοις ad unum omnibus cognitum est, atque a Livio I, 8. ad lictores duodecim relatum: „Me haud poenitet eorum sententiae esse, quibus et apparitores et hoc genus ab Etruscis finitimis, unde sella curulis, unde toga praetexta sumpta est, numerum quoque ipsum

ductum placet: et ita habuisse Etruscos, quod, ex duodecim populis communiter creato rege, singulos singuli populi lictores dederint." Ad eundem numerum referendi sunt duodecim illi vultures, qui se augurium Romulo ostenderunt, quorum imitationem accipe I, 393:

Aspice bis senos laetantis agmine cycnos.

E rei publicae quoque constitutione in ludo Troiae V, 561:

Tres equitum numero turmae, ternique vagantur
Ductores; pueri bis seni quemque secuti.

foedus XI, 133:

Bis senos pepigere dies.

Quem numerum rettulerunt ad Hom. Il. XXIV, 664:

Ἐννῆμαρ μὲν κ' αὐτὸν ἐνὶ μεγάροις γοάοιμεν,
τῇ δεκάτῃ δέ κε θάπτοιμεν, δαινῦτό τε λαός.
ἑνδεκάτῃ δέ κε τύμβον ἐπ' αὐτῷ ποιήσαιμεν,
τῇ δὲ δυωδεκάτῃ πολεμίξομεν, εἴπερ ἀνάγκη.

At primo ii, qui omnia ex Homero derivare student, non observarunt, hoc loco non foedus constare publice peractum, sed privatam inter Priamum atque Achillem stipulationem; deinde vero non integros duodecim, sed undecim dies peti (cf. 781: *πρὶν δωδεκάτη μόλῃ Ἠώς.*), denique duodenarium numerum tanta esse apud Romanos frequentia, ut ex hac in institutis personisque consuetudine facillime potuerit poetae menti insidere. Etenim nonne duodecim vultures, lictores, Salii (Liv. 1, 20.), duodecim familiae Potitiorum (Liv. IX, 29.), duodecim tabulae? Ad mensis vero uniuscuiusque principia respicit Eclog. I, 43:

Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quot annis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.

Ad Apollinem pertinet, quando rex Latinus XII, 162:

Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen.

Neque ex hac ratione Apollinea, neque e publica illa, sed e frequentia huius numeri apud Romanos in universum alios explico locos v. g. Ascanii Niso promittentis IX, 272:

Praeterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora captivosque dabit.

Aeneae tropaeum statuentis XI, 9:

Telaque trunca viri et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis.

et poetae ipsius XII, 899:

Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

ubi differentiam ab Homero notaveris, qui non duodecim, sed duo nominat, Il. V, 303: ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν, Οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'. XII, 447: τὸν δ' οὔ κε δύ' ἀνέρε δήμου ἀρίστω Ῥηϊδίως ἐπ' ἄμαξαν ἀπ' οὔδεος ὀχλίσσειαν, Οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'., Apollonius Argon. III, 1367. quattuor.

Verum ad tribus redeundum. Earum tribuum, quae postea exstiterunt numero triginta quinque Romanae, unam tantum nominat eamque celebratissimam, Claudiam VII, 706:

Ecce, Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.

In his quoque poeta nomen saltem Clausi ex historia Romana mutuatus est atque in antiquissimos illos heroas transtulit. Liv. II, 16: „Namque Attus Clausus, cui postea Ap. Claudio fuit Romae nomen, quum pacis ipse auctor a turbatoribus belli premeretur, nec par factioni esset, ab Regillo, magna clientium comitatus manu, Romam transfugit. His civitas data agerque trans Anienem, vetus Claudia tribus, additis postea novis tribulibus, qui ex eo venirent agro, appellata." Memoratu denique dignum hunc quoque Attum e Sabinis fuisse.

§. 18.

De agro publico.

Notum est apud veteres Graecos institutum, ut vir quisque clarissimus, rex inprimis ob sua in populum merita agri quadam portione — ea τέμενος dicebatur — honoraretur. Ex quo instituto interpretati sunt duos potissimum locos, quorum uno rex Latinus Aeneae Troianisque magnum agri publici emolumentum concessurus est XI, 316:

Est anticus ager Tusco mihi proxumus amni,
Longus in occassum, finis super usque Sicanos, — —
Haec omnis regio et celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiae Teucrorum,

alterum, quo Ascanius omnibus adhuc opibus egenus Niso aureos montes pollicetur, IX, 274:

Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.

Verum enim vero cur externum advocemus morem, quum Vergilio patrius idem agros dividundi a regibus inde ad extremam usque labentis imperii aetatem exstiterit? Iam Servius: „Mos fuerat, inquit, ut viris fortibus sive regibus pro honore daretur aliqua publici agri particula, ut habuit Tarquinius Superbus in campo Martio, quod spatium ab Homero *τέμενος* dicitur. Hoc ergo quod Latinus pro honore de republica habuit, ab Ascanio intelligamus esse promissum.“ De Tullo Hostilio narrat Dionysius Halic. A. R. III, 1: *Χώραν εἶχον ἐξαίρετον οἱ πρὸ αὐτοῦ βασιλεῖς πολλὴν καὶ ἀγαθήν, ἐξ ἧς ἀναιρούμενοι τὰς προσόδους ἱερά τε θεοῖς ἐπετέλουν καὶ τὰς εἰς τὸν ἴδιον βίον ἀφθόνους εἶχον εὐπορίας —— ἦν δὲ οὐκ ἔτι δημοσία κτῆσις, ἀλλὰ τῶν ἀεὶ βασιλέων κλῆρος. ταύτην ὁ Τύλλιος ἐπέτρεψε τοῖς μηδένα κλῆρον ἔχουσι Ῥωμαίων κατ' ἄνδρα διανείμασθαι.* Quum igitur *agri, campi, arvorum, glebae* divitias Maro memoret, obversabantur scilicet latifundia illa et immensae agrorum possessiones non divitum solum Romanorum, sed integri populi. De rege Latino adde VII, 261:

Non vobis rege Latino
Divitis uber agri Troiaeve opulentia deerit.

Memorat porro I, 343. Sychaeum Tyrium:

Huic coniux Sychaeus erat, ditissimus agri
Phoenicum.

Galaesum VII, 537:

Iustissimus unus
Qui fuit Ausoniisque olim ditissimus arvis.
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, et terram centum vertebat aratris.

X, 562:

Fulvumque Camertem
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri
Qui fuit Ausonidum et tacitis regnavit Amyclis.

In universum glebarum ubertatem Vergilius de patria Italia praedicat I, 530. et III, 163:

Est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis adque ubere glebae.

eandemque saepius in Georgicis (II, 143. 173.) condicionem. Posteriores etiam poetae in hac agrorum laude aut imitati sunt nostrum, aut eodem sensu ducti v. g. Statius Theb. V, 305:

Insula dives agris opibusque armisque virisque.

§. 19.

De urbis condendae more.

Qui ad novae urbis vel coloniae aedificationem apud nostrum obvii sunt ritus, ii non ex impolita antiquissimi temporis rusticitate profecti sunt, sed Itali hominis probant imaginationem, qui vel ex historia vel ex colonia in loca peregrina suo tempore deducta omnia probe cognoverat. Primum enim opus erat, ut optaretur diis auspicibus locus ipse. Inde III, 108:

Teucrus Rhoeteas primumst advectus ad oras
Optavitque locum regno.

III, 132:

Ergo avidus muros optatae molior urbis.

I, 425:

Pars optare locum tecto.

Hanc enim vocem tam sollemnem hic esse reor, quam in optata hostia apud Festum. Deinde solo satis spectato, quod includere vellent spatium, aratro circumducto signare solebant. V, 755:

Interea Aeneas urbem designat aratro.

ubi Servius: „Quem Cato in originibus dicit morem fuisse. Conditores enim civitatis taurum in dextram, vaccam intrinsecus iungebant, et incincti ritu Gabino i. e. togae parte caput velati, parte succincti tenebant stivam incurvam, ut glebae omnes intrinsecus caderent, et ita sulco ducto loca murorum designabant aratra suspendentes circa loca portarum.“ Cf. Varro L. L. V. §. 143: „Oppida condebant in Latio Etrusco ritu, ut multa, id est iunctis bobus, tauro et vacca interiore, aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut fossa et muro essent muniti“. R. R. II, 1. Inscriptio Orell. 3683: IVSSV. IMPERATORIS. CAESARIS. QVA. ARATRVM. DVCTVM. EST. et Terracinae et Capuae inventa est. Inde Aeneas VII, 157. apud fluvium Thybrim

Ipse humili designat moenia fossa.

Sed mirum, quod in ipsa Carthagine non solum I, 423. *pars ducere murum* aggrediatur, sed 425:

Pars optare locum tecto et concludere sulco.

Privatae itaque aedes eodem Etrusco ritu consecrantur. Quod non revera factum, sed de publico ad privatum solum a Vergilio translatum esse credo. Servius explicat: „Fossa; civitas enim, non domus, circumdatur sulco“. Ceterum Isidorus XV, 2, 3. duos locos

in unum memoria lapsus conflavit: „Urbs vocata ab orbe, quod antiquae civitates in orbes (?!) fiebant, vel ab urba parte aratri, quo muri designabantur, unde est illud: Optavitque locum regno et concludere sulco. Locus enim futurae civitatis sulco designabatur, id est, aratro. Cato: Qui urbem, inquit, novam condet, tauro et vacca aret, ubi araverit, murum faciat, ubi portam vult esse, aratrum sustollat et portet et portam vocet".

Muris ita aratro signatis perque fossam ductis dux coloniae vel rex conditor areas pro meritis uniuscuiusque vel ex ingenio suo vel sorte dividit. In Sicilia V, 755:

Interea Aeneas urbem designat aratro
Sortiturque domos; hoc Ilium et haec loca Troiam
Esse iubet.

In Creta III, 137:

Iura domosque dabam.

Iuno Teucros VII, 290., apud Thybrim fluvium:

Moliri iam tecta videt, iam fidere terrae.

De Carthagine I, 425. iam vidimus singulos e sua ipsorum voluntate locos sibi eligentes. Agros quoque a duce dari, mori Romano consentaneum est; inde III, 136:

Connubiis arvisque novis operata iuventus.

Dido regina I, 507. operum laborem vel pro viribus, vel sorte distribuendum curavit. Quod sine dubio ad publica magis, quam ad privata aedificia pertinet. Inter quae praeter muros, portas viasque stratas maximi momenti pro Romanorum, bellicosae gentis, sensu ipsa erat arx. Eadem in omnibus per Aencidem memoratur oppidis. Carthaginis I, 421:

Miratur molem Aeneas, magalia quondam,
Miratur portas strepitumque et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii; pars ducere muros,
Molirique arcem et manibus subvolvere saxa.

Troiae II, 319:

Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos.

Cf. VIII, 375. In Creta insula III, 134:

Hortor amare focos arcemque attollere tectis.

Apud Evandrum VIII, 98:

Muros arcemque procul ac rara domorum
Tecta vident.

Turnus XI, 490:

Fulgebatque alta decurrens aureus arce.

Aeneas minatur XII, 655:

Deiecturum arces Italum excidioque daturum.

698:

Deserit et muros et summas deserit arces.

Vocatur VIII, 313:

Rex Evandrus Romanae conditor arcis.

652:

In summo custos Tarpeiae Manlius arcis.

657:

Galli per dumos aderant arcemque tenebant.

Cf. picturam Vaticanam Carthaginis a Didone condendae in Millin. mythol. Galler. Tab. CLXXV. bis. nr. 646.* Non arce vero sola urbem, sed aliis propugnaculis, inter quae turres portusque eminent, munitam esse oportebat. Ex turrium frequentissima mentione unus prae aliis de Carthagine urgendus est locus IV, 86:

Non coeptae adsurgunt turres, non arma iuventus
Exercet, portusve aut propugnacula bello
Tuta parant; pendent opera interrupta minaeque
Murorum ingentes aequataque machina caelo.

Quemadmodum vero arces, ita praesertim portus a simplici Homericae aetatis sensu alieni sunt. Quorum apud Vergilium commemoratione mercatura ac bellica ars quantum sit progressa, ultro obiicitur. Vide enim I, 427:

Hic portus alii effodiunt.

III, 300:

Progredior portu.

IX, 98. *portus Ausonios* (cf. Georg. II, 161.), et suavissimam portus non arte sed natura effossi descriptionem I, 159:

Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit obiectu laterum . . . . .

Quod vero fidem paene superat, theatrum etiam primis Carthaginis initiis tribuitur. Mirer sane, si non Peerlkampius aliquando nobis, hos versus esse spurios, velit persuadere I, 427:

Hic portus alii effodiunt; hic alta theatris
Fundamenta locant alii, inmanisque columnas
Rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris.

Verum hoc quoque ex amore studioque, quo Romani ludos prose-

quebantur, est defendendum. Etenim quamvis poeta in hac urbis recentis dispositione vehementer violaverit verum temporum antiquorum habitum, attamen eo Romanorum delenivit sensu mentem, quo nos quoque adficimur, quando quae ipsi sentimus, agimus, cogitamus, quasi ex intima nostra natura rapta carmine percipimus paene ad vivam imaginem expressa. Inde quum ea loca popularibus nominaret, tangeret, significaret, quibus lubentissime commorari solebant, omnia clariora, insigniora et praesentiora reddidit. Nominavit vero non solum theatrum, v. g. V, 287., ubi Aeneas tendit:

Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant silvae, mediaque in valle theatri
Circus erat, quo se multis cum milibus heros
Consessu medium tulit exstructoque resedit.

et circum longum V, 551., sed partes quoque singulas, primum universam caveam VIII, 635:

Nec procul hinc Romam et raptas sine more Sabinas
Consessu caveae magnis Circensibus actis
Addiderat.

V, 340:

Hic totum caveae consessum ingentis et ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus inplet.

ubi *ora prima patrum* sine dubio ad sedes senatorum et ordinis equestris primarias spectant recteque a Servio comparantur cum illis Iuvenalis Sat. II, 147: „omnibus ad podium spectantibus" — deinde cuneos, in quos gradus ascendentes secernebantur, unde V, 664:

Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert navis Eumelus.

et XII, 269. de consessu populi excitato:

Turbati cunei.

scaenam denique. Quodsi memineris versus I, 428. modo allati, quo columnas in futurarum scaenarum decus excisas audimus, percipies illico non eam esse theatri partem, qua actores loquuntur, agunt, aguntur, sed partem illam altam spectatoribus oppositam, qua per tragoediam saepissime templum palatiumve altis columnis erat exstructum. Inde per translationem I, 164:

Tum silvis scaena coruscis
Desuper.

Verum hac ab omnibus adhuc interpretibus refertur etiam IV, 471:

Aut Agamemnonius s c a e n i s *agitatus Orestes*
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit ultricesque sedent in limine Dirae.

Iam Servius explicat: „*scaenis agitatus* famosus, celebratus tragoediis, et *agitatus* — — quasi frequenter actus.“ ita ut *s c a e n i s* positum sit pro: in scaena, si e nostri theatri usu loquaris. Immo haec explicatio omnino firmari videtur perpetuo Vergilii imitatore Ausonio epigr. 71:

Praeter legitimi genitalia foedera coetus
Repperit obscenas Veneres vitiosa libido,
Herculis heredi quam Lemnia suasit egestas,
Quam toga facundi s c a e n i s a g i t a v i t Afrani.

Vides postremum versum e laciniis Horatianis Vergilianisque esse conglutinatum. Verum enim vero et nos interdum quaedam in antiquis rectius intelligimus, quam ipsi antiquorum populares, praesertim si plura inter eos secula intercesserunt. Iam olim in libello de morum in Vergilii Aeneide habitu. Bonnae 1836. p. 99. conieceram, fieri fortasse posse, ut scaenae h. l. non theatri partem significent, sed visiones. Non enim poteram mihi persuadere, poetam in comparatione de insania Didonis cum aliorum heroum furore instituta non hos ipsos heroes, sed de scaena quasi e speculo desumptam imaginem in poesin suam inculcasse. Quamvis enim fateamur oporteat, Orestis modo dementiam multis fabulis esse tractatam, atque ut hodie personati actores inlustres in actione vel corporis quodam motu defixi pingi solent, ita et tum fieri potuisse, ut Aesopus vel quilibet alius histrio Orestem vesania adactum magno populi plausu ante oculos mentemque proposuerit: attamen si tale quid a Vergilio hic spectatum credendum sit, nescio quid a Musa alienum ac doctrinae nimiae documentum ei intrudes. Sermo enim est de Didone mente capta visisque variis anxiata. Comparatur primo cum Pentheo, qui d e m e n s Furiarum agmina, solem geminum duplicesque Thebas vidit, cum Oreste, qui matrem facibus serpentibusque armatam et Diras in limine sedentes effugere vult. Vocibus itaque *scaenis agitatus* respondet in priore illud *demens.* Neque sola sententiarum compositio, sed linguae ipsius indoles hanc explicationem, ni fallor, flagitat. De theatro enim potius a c t i t a t u s quam a g i t a t u s erat dicendum. Deinde vero agitari tam proprie de furiarum vel numinum persecutione dicitur, ut hic usus magnum sane momentum addat. Conferatur ante omnia apud ipsum Vergilium Aen. III, 331:

Scelerum furiis a g i t a t u s *Orestes*,

X, 872. et XII, 668:

Et furiis agitatus amor et conscia virtus.

Horat. Sat. II, 3, 135:

Ac non ante malis dementem actum Furiis.

German. Arat. 575:

Gargaron aut Ida, Superisve agitatus Olympus.

ita ut ablativus, qui huic verbo adiicitur, non loci, sed instrumenti sit. Una restat difficultas. Quaeritur, num *scaenae* possint speciem visam, rem obiectam significare. Nullum olim exemplum proferendo par eram. Sed praeter *scaenam silvis coruscis* apud ipsum Maronem audias non Ausonium quidem Mosell. 318:

Hos ergo aut horum similes est credere dignum
Belgarum in terris scaenas posuisse domorum,
Molitos celsas fluvii decoramina villas.

ubi altas in scaenarum formam aedes significaturus est, sed Statium silv. IV, 3, 20:

Hic scaenis populi vias gravatas
Et campis iter omne detinentes
Longos eximit ambitus, novoque
Iniectu solidat graves arenas.

et non absimili, sed alia significatione usum Sueton. Calig. 15: „Ad transferendos matris fratrisque cineres festinavit tempestate turbida, quo magis pictus emineret: adiitque venerabundus ac per semet in urnas condidit. Nec minore scaena Ostiam praefixo in biremis puppe vexillo et inde Romam Tiberi subvectos per splendidissimum quemque equestris ordinis medio ac frequenti die duobus ferculis Mausoleo intulit.“ ubi scaena apparatum ab omnibus conspectum indicat. Summam igitur omnis huiusce disputationis eam habeto, Orestem scaenis i. e. spectris agitatum ad theatrum nequaquam pertinere. —

Scaenae antiquae dispositionem in illo de ludis Caesari Augusto instituendis loco indicat poeta Georg. III, 24:

Vel scaena ut versis discedat frontibus, utque
Purpurei intexti tollant aulaea Britanni.

Servius priorem versum explicat: „Scaena autem, quae fiebat, aut versilis erat aut ductilis. Versilis tunc erat, quum subito tota machinis quibusdam convertebatur et aliam picturae faciem ostendebat; ductilis tunc, quum tractis tabulatis hac atque illac species

picturae nudabatur interior. (Unde perite utrumque tetigit dicens: *Versis discedat frontibus*, singula singulis complectens sermonibus.) Quod Varro et Suetonius commemorant.“ De machinis versatilibus cf. Vitruv. V, 6, 8. Alterum versum Servius interpretatur: „Hoc secundum historiam est locutus. Nam Augustus, postquam vicit Britanniam, plurimos de captivis, quos abduxerat, donavit ad officia theatralia, dedit etiam aulaea i. e. velamina, in quibus depinxerat victorias suas et quemadmodum Britanni ab eo donati eadem vela portarent, quae revera portare consueverant. Quam rem mira exprimit ambiguitate dicens: *intexti tollant.* Nam in velis ipsi erant picti, qui eadem vela portabant.“

Extremo loco in oppido vel colonia aedificanda — de hac enim oratio erat digressa — similitudo et platearum et vicorum et ipsius nominis cum urbe patria erit spectanda. Non raro enim coloni non solum urbis nomen, sed fluminis etiam retinuere, deinde forum, alia ad eandem speciem aedificavere. Talis apud Helenum est rerum condicio III, 349:

> *Procedo, et parvam Troiam simulataque magnis*
> *Pergama et arentem Xanthi cognomine rivom*
> *Adgnosco, Scaeaeque amplector limina portae.*

ubi Servius: „Multi putant, Aeneam de ea venisse ad Epirum et ibi haec loca per licentiam poeticam esse conficta. Varro Epiri se fuisse tradit, et omnia loca iisdem dici nominibus, quae poeta commemorat, se vidisse: unde apparet haec non esse fabulosa.“ De quorum veritate etsi dubitantior aliquis scrupulum possit iniicere, nihilominus talia nomina in coloniis mansisse, inde vides, quod Cato primum in Italia ab Aenea conditum oppidum Troiam esse appellatam tradidit. Cf. Serv. ad Aen. VII, 158. Dionys. Halic. A. R. I, 53: *Τελευτῶντες δὲ ἀφικνοῦνται τῆς Ἰταλίας εἰς Λωρεντόν· ἔνθα τῆς πλάνης παυσάμενοι, χάρακα ἔθεντο· καὶ τὸ χωρίον, ἐν ᾧ κατεστρατοπεδεύσαντο, ἐξ ἐκείνου Τροία καλεῖται: ἀπέχει δὲ τῆς θαλάττης ἀμφὶ τοὺς τέτταρας σταδίους.* Secundum Livium I, 1. e aquoque, quae ab Antenore in intimo maris Hadriatici sinu condita est, Troiae nomen habuit. Inde nomen variorum, quae ab Aenea

temptantur, oppidorum rationem aliquam ad nomen vel ducis vel Troiae habent; in Thracia III, 16:

Feror huc, et litore curvo
Moenia prima loco, fatis ingressus iniquis,
Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.

in Creta III, 132:

Ergo avidus muros optatae molior urbis,
Pergameamque voco, et laetam cognomine gentem
Hortor amare focos arcemque attollere tectis.

in Sicilia Beroe V, 634. mulieres ita exacerbat:

Nullane iam Troiae dicentur moenia? nusquam
Hectoreos amnis, Xanthum et Simoenta, videbo?

Nautes, qui urbis ibi condendae consilium Aeneae dat, V, 718. ait:

Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.

ab Aceste scilicet ibi iam habitante, quae postea Segesta appellata est. Quapropter V, 756. non de nomine, sed de patria, quae quasi restituta et reddita est, accipiendum est, quum Aeneas:

hoc Ilium et haec loca Troiam
Esse iubet.

Quomodo urbs, quam Aeneas VII, 157. castrorum in modum condit, ex Vergilii mente fuerit nominata, ex carmine ipso non patet, quamquam Servius Troiam putat atque ad hanc sententiam confirmandam IX, 644:

Nec te Troia capit.

laudat. Cf. idem ad IX, 48: »*Urbi* Troiae, quam fecerat Aeneas castrorum in morem.« Verum versuum nexus aliud videtur efficere, quum Apollo Ascanium, qui primum hostem occiderat, hortetur: *Macte nova virtute puer*, genitus es diis et geniturus deos, nec te capit Troia, i. e. maior es, quam patria, unde oriundus es. Ad novam illam urbem vehementer dubito an Apollo respexerit. Etiam X, 26:

Muris iterum imminet hostis
Nascentis Troiae.

de Troia quasi renata accipiendus erit, quemadmodum Venus X, 60. *Xanthum et Simoenta* Troianis ut reddat, Iovem obsecrat et X, 213:

Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Troiae.

Troiae nomen pro Troianorum intelligi probe potest. Ceterum Albam I, 271. et III, 392. ab alba sue dictam, Romanosque a Romulo I, 277. vix huc referendos esse censemus.

II.

De re militari.

Arma Latinus habeto.
XII, 192.

§. 20.

Vergilius quid de bello senserit.

Omnium non solum, qui religione et philosophia eruditi sunt, sed summorum poetarum antiquorum etiam, qui magnas res gestas carminum gloria celebrarunt, nemo fere unquam dubitavit, quin bellum hominum sit humano consortio indignum, sed ad coercendas rudium populorum libidines necessarium adhuc et patriae amore, iustitia, more sanciendum ac sancitum. Considerato Homerum! Quantis laudibus heroes fortissimi ab illo sunt elati, at quanta animi tristitia deplorati casus *στυγεροῦ πολέμοιο*, *λευγαλέοιο κ. τ. λ.*? *Πόλεμον* vocat *κακόν*, *πολύδακρυν*. Quod quamvis hic illic e feminarum mente de viris lugentium sit dictum, attamen non raro suum in funera illa odium manifesto prodit. Par fere Vergilii erat animus. Qui quamvis gentis fuerit Romanae ad omnem bellicam artem promptissimae, apud quam Iani templum bis tantum clusum, natura tamen molliore, agro bis sibi erepto ac taedio quodam de continua per omne fere vitae suae spatium sanguinis civilis profusione eo ductus est, ut gravius etiam abhorreret. Triplici ratione illud incusat. Primo eius tristitiam appellat. Cf. Eclog. VI, 6:

Namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella.

Aen. VII, 325:

[Allecto] cui tristia bella
Iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi.

Cf. V, 411. XI, 589. 215:

Hic matres miseraeque nurus, hic cara sororum
Pectora maerentum, puerique parentibus orbi,
Dirum exsecrantur bellum.

Insaniam deinde vocat VII, 461:

Saevit amor ferri et scelerata insania belli.

VII, 550:

Accendamque animos insani Martis amore.

VIII, 327:

Et belli rabies et amor successit habendi.

Eclog. X, 44:

Nunc insanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media adque adversos detinet hostis.

Insania quoque et furore quodam Bacchico matres Latinae VII, 395. agitantur bellumque cient, insania Turnus VII, 460., ipse Aeneas non nisi coactus ad arma accedit. Crimen denique bellum esse inprimis civile adfirmat. *Sceleratam* iam animadvertimus *belli insaniam.* In diris, quae profecto a Vergilio nostro sunt conditae, 80. exclamat:

Piscetur nostris in finibus advena arator,
Advena, civili qui semper crimine crevit,
O male devoti praetorum crimine agelli,
Tuique inimica tui semper discordia civis.

Aen. VII, 339:

Disice compositam pacem, sere crimina belli.

Hortatur ad concordiam Ecl. I, 72:

En, quo discordia civis
Produxit miseros!

Aen. VI, 832:

Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella,
Neu patriae validas in viscera vertite viris.

Attamen tanto ipse Romae aeternae amore ac reverentia imbutus vel potius perfusus erat, ut omne bellum ad augendam ipsius gloriam indictum iustum fore crediderit. Tale quid spirant verba VI, 852:

Tu regere inperio populos, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes, pacisque inponere morem,
Parcere subiectis et debellare superbos.

His addam, quod poeta in illa de Saturnia aetate redeunte somnio Eclog. IV, 35. *altera bella* memorat, quibus *magnus Achilles* ad Troiam mittatur, sed Aen. I, 293. aeternam pacem statuit:

Dirae ferro et compagibus artis
Claudentur Belli portae; Furor impius intus
Saeva sedens super arma et centum vinctus aenis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Cf. Plin. N. H. XXXV, 36, 16: [Apellis mirantur] „item Belli imaginem, restrictis ad terga manibus, Alexandro in curru

triumphante. Quas utrasque tabulas divus Augustus in fori sui partibus celeberrimis dicaverat simplicitate moderata.“ Quam tabulam veri est simile poetam nostrum conspexisse.

§. 21.

De belli indictione.

Numa teste Livio I, 32., ne „gererentur solum, sed etiam indicerentur bella aliquo ritu, ius ab antiqua gente Aequicolis, quod nunc fetiales habent, descripsit, quo res repeterentur ——— Fieri solitum, ut fetialis hastam ferratam aut sanguineam praeustam ad fines eorum ferret, et non minus tribus puberibus praesentibus diceret....... id ubi dixisset, hastam in fines eorum emittebat.“ Apud Gellium XVI, 4: „Cincius de re militari fetialem populi Romani bellum indicentem hostibus telumque in agrum eorum iacientem hisce verbis uti scripsit.....“ Ad Ancum Martium hunc morem refert Servius ad Aen. X, 14: „Ancus Martius quum videret, populum Romanum ardentem amore bellorum plerumque inferre bella gentibus nulla iusta exstante ratione et exinde pericula gravia creari misit ad gentem Aequicolanam et accepit iura fetialia, per quae bellum indicebatur hoc modo, sicut etiam de Albanis rettulit Livius. Nam si quando homines vel animalia ab aliqua gente rapta essent populo Romano, cum fetialibus id est sacerdotibus, qui faciendis praesunt foederibus, proficiscebatur etiam pater patratus, et ante fores stans clara voce dicebat belli causam et nolentibus res raptas restituere vel auctores iniuriae tradere iaciebat hastam, quae res erat pugnae principium.“ Cf. Paullus ex Festo s. v. Bellona. Habes itaque morem vere Italum apud Vergilium, ubi Turnus *viginti lectis equitum comitatus* IX, 52:

En! ait et iaculum attorquens emittit in auras,
Principium pugnae.

neque vero XII, 266. ubi Tolumnius augur ad pugnam exhortaturus:

Dixit et adversos telum contorsit in hostes.

quippe quum hic potius unum vulnerando foedus modo ictum rumpat. Adde Ovid. Fast. VI, 207:

Hinc solet hasta manu, belli praenuntia, mitti,
In regem et gentes quum placet arma capi.

Causam adfert Varro in Caleno (Serv. Dan. Aen. IX, 53.): „Duces quum primum hostilem agrum introitum ierant, ominis causa prius hastam in eum agrum mittebant, ut castris locum caperent.“

Neque etiam sine ratione poeta Turno viginti equites socios

videtur attribuere. Quid? hic numerus omni significatione caret? Nihil de hac re Servius monet alias harum rerum tam curiosus. Sed quum indictio fetialium sit officium, Turnus itaque quasi fetialium princeps vel pater patratus sit existimandus: viginti illos comites fetiales sint oportet. At teste Nonio Varro de vita P. R. II. (fr. p. 246.) quattuor tantum nominat: „Itaque bella et tarde et magna licentia suscipiebant, quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere, prius quam indicerent bellum iis, a quibus iniurias factas sciebant, fetiales legatos res repetitum mittebant quattuor, quos oratores vocabant.“ Sed idem Varro eodem laudante grammatico III. (fr. p. 246.) omnem difficultatem extricat haec adferens: »Si cuius legati violati essent, qui id fecissent, quamvis nobiles essent, uti dederentur civitati statuerunt, fetialesque viginti, qui de his rebus cognoscerent, iudicarent et statuerent, constituerunt «

§. 22.

De classico.

Magna inter Homericas Vergilianasque proeliorum descriptiones illa intercedit differentia, ut apud Graecum ars musica ad hilarandam fere solum vitam humanam appareat, citharaque fere vel lyra contineatur, apud Romanum poetam praecipuus sit in re militari usus. Huc ante omnia pertinet mos signi dationis, quum vel pugna concurrendum vel castris decedendum, vel in aliud opus militare sit incumbendum. Aen. III, 239:

Dat signum specula Misenus ab alta
Aere cavo. Invadunt socii, et nova proelia temptant

III, 519:

Dat clarum e puppi signum, nos castra movemus.

XI, 474:

Bello dat signum rauca cruentum
Bucina.

XII, 129:

Utque dato signo spatia in sua quisque recessit.

Dea Allecto VII, 513:

Pastorale canit signum,

quo bellum inceditur, IX, 394:

Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.

Qui vero bello ipso imminente instrumentorum strepitus editur, voce propria classicum appellatur. Inde VII, 637:

Classica iamque sonant, it bello tessera signum.

ubi Servius male: »Bene posuit amphiboliam; nam classicum dicimus et tubam ipsam et sonum. Classicum autem est flexilis tuba.« Melius Vegetius II, 22: »Classicum item apellatur, quod bucinatores per cornu dicunt. Hoc insigne videtur imperii, quia classicum canit imperatore praesente, vel quum in militem capitaliter animadvertitur, quia hoc ex imperialibus legibus fieri necesse est. Sive ergo ad vigilias vel angarias faciendas, sive ad opus aliquod, vel ad decursionem campi exeunt milites, tubicine vocante operantur, et rursus tubicine admonente cessant. Quum autem moventur signa, aut iam mota figenda sunt, cornicines canunt.« Unde non promiscue omnia instrumenta modo tubas, modo cornua, modo bucinas nominari, sed singula si non materia, at forma distingui patet. Inde Vergilius Aen. II, 313:

Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.

VII, 628:

Signaque ferre iuvat, sonitusque audire tubarum.

VIII, 526:

Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.

ubi Servius: »Tyrrhenum clangorem dixit tubae ideo, quia apud Tuscos tubam constat inventam.« Quod confirmat Plinius N. H. VII, 57: „Aeneam tubam [invenisse dicunt] Pisaeum Tyrrhenum.“ IX, 503:

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
Increpuit; sequitur clamor, caelumque remugit.

XI, 192:

It caelo clamorque virum clangorque tubarum.

XI, 424:

Cur ante tubam tremor occupat artus?

Georg. IV, 71:

Martius ille aeris rauci canor increpat, et vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum.

Tubam aere confectam esse, iam ex Vergilio ipso patet; Formam describit Vegetius III, 5: „Tuba, quae directa est, appellatur.“ (Cf. Col. Traian. nr. 83.). Ovid Metam. I, 98:

Non tuba directi, non aeris cornua flexi,
Non galeae, non ensis erant.

Errant Gellius V, 8. et Macrobius VI, 8. Tubicen quoque existimandus est apud Vergilium Misenus ille Aeolides VI, 164:

quo non praestantior alter
Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.

ubi *aes* non dubito, quin de tuba dictum sit, quoniam Vegetio

auctore II, 22: „tubicen ab bellum vocat milites et rursum receptui canit.“ Aeneasque VI, 232:

ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro remumque tubamque.

Mutata igitur erat Miseni e Troia egressi condicio, quippe quum in remigum numerum fuerit receptus tubicenque constitutus. Antea vero VI, 166:

Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta.

neque ex hoc loco velim effici, a poeta lituum incurvum, qui equitum erat, permutari cum tuba directa peditum; sed ita intellexerim, Misenum Troiae heroum de curru pugnantum, Hectoris praesertim fuisse liticinem et comitem, ipsumque interdum militasse. In monumentis quoque Romanis interdum obvia tuba, quae in tubicinum memoriam sunt erecta v. g. Lehne römische Alterthümer der Gauen des Donnersbergs. Mainz 1837. II. Tab. 12. nr. 53.

Secunda est „bucina, quae in semet ipsam aereo circulo flectitur.“ Veget. III, 5. (Cf. Col. Traian. nr. 57.) Quod Vergilio VII, 519. confirmatur:

Tum vero ad vocem celeres, qua bucina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis.

Etenim eadem est, qua antea Allecto 513. *cornu recurvo* cecinit. XI, 474:

Bello dat signum rauca cruentum
Bucina.

Tertium est „cornu, quod ex uris agrestibus argento nexum, temperato arte spiritu, quem canentis flatus emittit, auditur.“ Veget. III, 5. Vergilium coniiciat aliquis e versibus VII, 519. et 513. inter se comparatis cornu et bucinam unum idemque habuisse. Neque repugnant alii loci VII, 615:

Aereaque adsensu conspirant cornua rauco.

VIII, 2:

Et rauco strepuerunt cornua cantu.

e quibus id saltem elucet, cornua quoque ex aere confecta putari, atque ut tubas bucinasque bello convocando inservisse. Cf. Varro L. L. V. §. 117: „Cornua, quod ea quae nunc sunt ex aere, tunc fiebant bubulo e cornu.“

§. 9.

De clamore.

Apud plurimos antiquitatis populos institutum erat, ut, qui proelium committerent exercitus, magnum tollerent clamorem, quo

non ipsi solum vehementius acriusque incitarentur, verum hostes terrerentur ac percellerentur. Quod institutum apud Romanos arte quadam et religione videtur fuisse excultum, ita ut interdum indicium primum haberetur, quo res inclinatura esset; si excitatior crebriorque erat sublatus, victoriam portendebat, sin dissonus, impar, segnis, saepe iteratus, pavorem prodidit animorum (Liv. IV, 37.). Interdum etiam, quasi de integro oriretur pugna, repetebatur. Non temere igitur, neque fortuito apud poetam describitur clamor ad pugnam sese accingentium Aen. IX, 38:

Hostis adest, heia! I n g e n t i c l a m o r e per omnis
Condunt se Teucri portas, et moenia conplent.

IX, 664:

It c l a m o r totis per propugnacula muris.

Incertum est, an clamor sit procli metusve XI, 453:

Arma manu trepidi poscunt, fremit arma iuventus:
Flent maesti mussantque patres. Hic undique c l a m o r
Dissensu vario magnas se tollit ad auras.

De proelio constat XI, 609:

Constiterat: subito erumpunt c l a m o r e.

XI, 621:

Iamque propinquabat portis, rursusque Latini
C l a m o r e m tollunt, et mollia colla reflectunt.

Quum Tarchon Venulum ex equo deripuerit, non ob proelium commissum, sed admirationis gratia XI, 745:

Tollitur in caelum clamor, cunctique Latini
Convertere oculos.

Eadem ratione, quum Tolumnius augur ipso foedere rite peracto telum in Arcadas dirigens unum de novem fratribus vulneret, XII, 268:

Simul hoc, simul ingens clamor, et omnes
Turbati cunei.

Notatu vero dignum, in loco suavissimo, quo regum apium concursum hostilem poeta descripsit, omnia festive atque hilariter ab hominibus ad animalia esse traducta, Georg. IV, 76:

Magnisque vocant clamoribus hostem.

Quos clamores non poeticae tantum rationis esse, sed ad artem militarem fere pertinere, perspicies e Caes. B. Civ. III, 92: »Hanc [animi incitationem et alacritatem] non reprimere, sed augere imperatores debent, neque frustra a n t i q u i t u s i n s t i t u t u m est, ut signa undique concinerent clamoremque universi tollerent, quibus rebus et hostes terreri et suos incitari existimaverunt.« B. Gall.

VI, 8: »Celeriter nostri clamore sublato pila in hostes inmittunt.« Hirt. B. Hisp. 30: »Proelium clamore facto committitur.« Liv. XXIII, 16: »Marcellus signa canere, clamoremque tolli, ac pedites primum — — erumpere iubet.« VIII, 38: „At hercule illo die ab hora diei tertia ad octavam ita anceps dicitur certamen stetisse, ut neque clamor, ut primo semel concursu est sublatus, iteratus sit, neque signa promota loco retrove recepta.“ Veget III, 18: „Clamor autem, quem barritum vocant, prius non debe attolli, quam acies utraque se iunxerit. Imperitorum enim vel ignavorum est, vociferari de longe, quum hostes magis terreantur, si cum telorum ictu clamoris horror accesserit.«

§. 24.

De vexillo.

Belli inter Troianos Italosque exorti initium libri Aeneidis octavi describitur versibus primis:

Ut **belli signum** *Laurenti Turnus ab* **arce**
Extulit, *et rauco strepuerunt cornua cantu,*
Utque acris concussit equos, utque inpulit arma,
Extemplo turbati animi.

Belli signum non est, quod tuba datur sed vexillum rubrum, quod pro rerum statu in Capitolio Romano, urbis arce, vel ducis tentorio sive praetorio proponebatur. Iam Servius: „Si esset tumultus i. e. bellum Italicum vel Gallicum, — — qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, et exinde proferens duo vexilla, unum russeum, quod pedites evocabat, et unum caeruleum, quod erat equitum.“ Ceteri de uno tantum loquuntur, ut Caesar B. Gall. II, 20: „Caesari omnia uno tempore erant urgenda: vexillum proponendum, quod erat insigne, quum ad arma concurri oporteret, signum tuba dandum“ .... quo loco eadem, qua apud Vergilium ratione, signa vexillo et deinceps tuba data sese excipiunt. B. Civ. III, 89: „Simul tertiae aciei totique exercitui imperavit, ne iniussu suo concurreret, se, quum id fieri vellet, vexillo signum daturum.“ Hirt. B. Hisp. 28: „Renuntiatum est ab speculatoribus, Pompeium de tertia vigilia in acie stetisse. Hoc nuntio allato vexillum proposuit.“ Ad ipsam etiam pugnam navalem ciendam Octavius apud Hirt. B. Al. 45: „vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quae primae naves subsequebantur, idem ut facerent, significabat.“ Multa porro huius moris indicia apud Livium repperiuntur, ut IX, 23: „Dictator — — signum re-

pente pugnae proposuit." IX, 32: „Solo orto signum pugnae propositum est, armatique in aciem procedunt." X, 40: „Consul laetus auspicium egregium esse et deis auctoribus rem gesturos pronuntiat, signumque pugnae proposuit." XXII, 45. XXIII, 29. XLI, 26. Apud alios quoque crebra eius mentio, ut apud Paullum e Festo: „Iusti dies dicebantur triginta, quum exercitus esset imperatus et vexillum in arce positum." Quocum conferas Macrob. Sat. I, 16. Plutarch. Pompei. 68: Ὁ μὲν οὖν Καῖσαρ, εἰπών, τὴν προσδοκωμένην ἥκειν ἡμέραν, ἐν ᾗ πρὸς ἄνδρας, οὐ πρὸς λιμόν, οὐδὲ πενίαν μαχοῦνται, πρὸ τῆς σκηνῆς ἐκέλευσε προθεῖναι τὸν φοινικοῦν χιτῶνα. Τοῦτο γὰρ μάχης Ῥωμαίοις ἐστὶ σύμβολον. Fab. 15: [Ὁ Τερέντιος] ἅμ' ἡμέρᾳ τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἐξέθηκεν· ἔστι δὲ χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος. Brut. 40: Ἅμα δ' ἡμέρᾳ προὔκειτο μὲν τῷ Βρούτου χάρακι καὶ τῷ Κασσίου σύμβολον ἀγῶνος, φοινικοῦς χιτών. Quamdiu tale vexillum pugnae signum fuerit, inde colliges, quod Arnobius adv. gent. II, 67., qui exeunte tertio, ineunte quarto p. Chr. seculo scripsit, inter eas enumeret res, quae non amplius in Romanorum positae sint consuetudine: „Quum paratis bella, signum monstratis ex arce?" indeque Vegetii quoque de illo silentium explicaverim.

§. 25.

De tessera.

Duplex erat tesserae in militia Romana usus, alter ad excubias observandas ordinandasque, alter ad cognoscendos in ipso proeliorum concursu inter se milites. De priore fusius loquitur Polybius VI, 34: Τὴν δὲ τοῦ νυκτερινοῦ συνθήματος παράδοσιν ἀσφαλίζονται τὸν τρόπον τοῦτον. καθ' ἕκαστον γένος καὶ τῶν ἱππέων καὶ τῶν πεζῶν ἐκ τῆς δεκάτης σημαίας καὶ τελευταίας στρατοπεδευούσης κατὰ τὰς ῥύμας, ἐκ τούτων εἷς ἑκάστης ἀνὴρ λαμβάνεται κατ' ἐκλογήν, ὃς τῶν μὲν κατὰ τὰς φυλακὰς λειτουργιῶν ἀπολύεται, παραγίγνεται δὲ καθ' ἡμέραν δύνοντος ἡλίου πρὸς τὴν τοῦ χιλιάρχου σκηνήν, καὶ λαβὼν τὸ σύνθημα, τοῦτο δ' ἐστὶ πλατεῖον ἐπιγεγραμμένον, ἀπαλλάττεται πάλιν. ἀναχωρήσας δ' ἐπὶ τὴν αὑτοῦ σημαίαν τό τε ξυλήφιον παρέδωκε καὶ τὸ σύνθημα μετὰ μαρτύρων τῷ τῆς ἐχομένης σημαίας ἡγεμόνι· παραπλήσιον δὲ πάλιν οὗτος τῷ τῆς ἐχομένης, τὸ δ' ὅμοιον ἑξῆς ποιοῦσι πάντες, ἕως ἂν ἐπὶ τὰς πρώτας καὶ συνέγγυς τοῖς χιλιάρχοις στρατοπεδευούσας σημαίας ἐξικνῆται. τούτους δὲ δεῖ τὸ πλατεῖον ἔτι φωτὸς ὄντος ἀναφέρειν πρὸς τοὺς χιλιάρχους...... Inde apud Vegetium II, 9: »Vigilia-

rum sive profectionis tessera ab eodem [praefecto legionis] petebatur.« III,5: »Vocalia [signa militaria] dicuntur, quae voce humana pronuntiantur, sicut in vigiliis vel in proelio pro signo dicitur, ut puta: victoria, palma, virtus, deus nobiscum, triumphus imperatoris et alia quaecunque voluerit dare is, qui in exercitu habet maximam potestatem. Sciendum tamen est, ista vocabula quotidie debere variari.« Apud Statium Theb. X, 17:

Dat tessera signum
Excubiis positaeque vices.

Huius quantum vidi tesserae nullum apud Vergilium exstat exemplum atque vestigium, alterius vero una certa iniicitur mentio Aen. VII, 637:

Classica iamque sonant, it bello tessera signum.

ubi Servius: »Symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur, scilicet propter confusionem, ut fuit in bello Marii Lar deus, in Sullae Apollo Delphicus, in Caesaris Venus genitrix.« Amplius ex his historicorum Latinorum locis inlustratur, Hirt. B. Hisp. 36: »Hac re cognita, insequenti nocte vigilia tertia tessera data, extra vallum omnes sunt concisi.« Caes. B. Gall. II, 20: »Acies instruenda, milites cohortandi, signum dandum.« ubi posteriora verba de tessera sunt explicanda, neque de tubarum bucinarumque clangore accipienda, quum non solum vexillum proponendum, sed signum tuba dandum iam antea sit commemoratum. Hirt. B. Afric. 83: »Quod postquam Caesar intellexit, incitatis militum animis resisti nullo modo posse, signo felicitatis dato, equo admisso, in hostem contra principes ire contendit.« E poetis haec sufficiant exempla Stat. Theb. VII, 236:

Longo fugit ordine velox
Tessera, propellunt acies.

Sil. Pun. XV, 475:

Tacitum dat tessera signum.

Duos alios Maronis locos quominus certo huc referam, impedit me nescio quis, ne nimia quadam doctrina inlata sensum poeticum laedam, timor. Etenim Aen. II, 370. Troianis Graeca arma indutis primus se offert Androgeos, qui socia esse agmina arbitratus amice eos compellat, 375:

Dixit et extemplo, neque enim responsa dabantur
Fida satis, sensit medios delapsus in hostis.

ubi Servius: »Bene addidit *fida*, ut ostenderet symbolum, quo utebantur in bello.« argutior, quam verus. Eadem ratione ad II, 422, ubi Graeci

Adparent, primi clipeos mentitaque tela
Adgnoscunt, adque ora sono discordia signant.

signant explicat: »designant, aut per vocem, aut per symbolum, quo utitur exercitus.« Quamquam non negaverim, *ora sono discordia* mirum in modum de linguarum differentia dici, quum nusquam Graecos alia ac Troianos usos esse voce poeta significet, in sermonibus alter semper alterum intelligat. Contra ne de symbolo i. e. tessera accipiam, prohibebit vocabulum *sonus* de signo militari vocali non facile adhibitum. Ita igitur priorem intelligemus locum, ut non fida satis i. e. amica, familiari ratione edita responsa intelligantur, posteriorem, ut in hoc proeliantium concursu, quo falsi clipei falsaque arma cognoscebantur, vocis etiam popularis differentia a Marone ad dignoscendos hostes fuerit revera notata.

Ceterum Vegetio II, 7. teste etiam »tessera—dicitur praeceptum ducis, quo vel ad opus, vel ad bellum movetur exercitus.« atque »tesserarii, qui tesseram per contubernia militum nuntiant.« Quae significatio apud Livium VII, 35. IX, 32. invenitur.

§. 26.

De legione.

Mirabuntur sane, quibus adseveraverim, lectores, legionem Romanam non nomine solum, sed reapse et numero in Aeneidem esse inductam. Ne me ex ingenio mero eam derivare arbitrentur, computent ipsi, quos poeta versibus condidit atque in unum corpus copulavit, numeros X, 166 — 184:

Massicus aerata princeps secat aequora tigri, 166
Sub quo mille manus iuvenum — —
Una torvos Abas — 170
Sescentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuvenes; ast Ilva trecentos —
Tertius ille hominum divomque interpres Asilas — — 175
Mille rapit densos acie adque horrentibus hastis — — —
Tercentum adiciunt, mens omnibus una sequendi. 182

Habet itaque M, DC, CCC, M, CCC militum, qui tria milia ducentos efficiunt; desunt tantum centum, ut integer numerus legionis Romanae antiquae evadat. Qui defectus unde sit ortus, nondum est in promptu. Fortasse Cinyrae et paucis comitato Cupavo, qui navem Centaurum promovet, centum poeta tribuit. Legionem vero hoc loco indicatam esse, movent me maxime tercentum illi 182:

Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis,
Et Pyrgi veteres intempestaeque Graviscae.

Horum enim dux, quum alius nemo nominetur, opus est, ut Astur sit, cui tercentum milites oppida Caere, Pyrgus, Graviscae adiiciunt. Asturem enim mille integros secum habere, coniectura est nulla re firmata. Vocatur vero 181:

Astur equo fidens et versicoloribus armis.

unde luce clarius, hos esse tercentum illos equites, qui unicuique legioni adiiciebantur. Iidem vero a poeta iam IX, 367. ita sunt descripti, quos nemo possit non agnoscere:

Interea praemissi equites ex urbe Latina,
Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant et Turno regis responsa ferebant,
Tercentum scutati omnes Volscente magistro.

ubi cetera legio ab equitibus trecentis disiungitur. Eandem ob causam apud regem Latinum equi VIII, 275:

Stabant tercentum nitidi in praesepibus altis.

Vides enim tot equos regi instructos esse, ut integrum legionis equitatum possit complere. Aeneas ipse auxilia quadringentorum accipit VIII, 518:

Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo, totidemque suo tibi nomine Pallas.

Quorum numerorum ratio quaerenda est.

Fateamur quidem oportet, apud Varronem hos trecentos equites in antiquissima legione non nominari L. L. V. §. 89: „Milites, quod trium milium legio fiebat, ac singulae tribus Titiensium, Ramnium, Lucerum milia singula militum mittebant.“ Attamen ipse illos omisisse credendus est, quoniam militis vocabuli originem e milibus explicaturus erat. Deinde §. 91. explicatur „turma terima (E in V abiit) quod ter deni equites ex tribus tribubus Titiensium, Ramnium, Lucerum fiebant.“ Apud omnes alios scriptores in antiquissimam aetatem numerus ille trecentorum constat. Quamvis enim Plutarchus Rom. 20. narret, urbe per Sabinos duplicata legiones fuisse sex milium peditum, sexcentorum equitum, vides tamen huius auctoritatem de temporibus mythicis narrantis parvi esse aestimandam, et revera, si ille duplex sit numerus, simplicem ad tria milia peditum, equites trecentos reverti. Peditum modo auctus est numerus. Dionysius A. R. VI, 42. de Valerio Poplicola narrat: *Καὶ γίνεται δέκα στρατιωτικὰ τάγματα, ἐξ ἀνδρῶν τετρακισχιλίων ἔλαβε καὶ τῶν ἱππέων ὅσον ἑκάστῳ προσεμερίσθη· τὰ δὲ τέτταρα καὶ τοὺς λοιποὺς ἱππεῖς ὁ δικτάτωρ.* Equites non

dinumerat scriptor. Trecentos fuisse anno V. C. CCCVI. a Livio III, 62. audis: „Equites duarum legionum sexcenti fere ex equis desiliunt. „De peditibus Dionysio consentit Livius VI, 22. ad annum CCCLXXIV: „Quattuor legionibus quaternum milium scriptis.“ Anno CCCCVI. iterum aucti sunt pedites teste Livio VII, 25: „Undique non urbana tantum, sed etiam agresti iuventute decem legiones scriptae dicuntur quaternum milium et ducenorum peditum, equitumque trecenorum.“ Cf. Polyb. VI, 20: *Ὅταν δ' ἐκλέξωσι τὸ προκείμενον πλῆθος, (τοῦτο δ' ἐστὶν ὁτὲ μὲν εἰς ἕκαστον στρατόπεδον πεζοὶ τετρακιςχίλιοι καὶ διακόσιοι, ποτὲ δὲ πεντακιςχίλιοι, ἐπειδὰν μείζων τις αὐτοῖς προφαίνηται κίνδυνος) μετὰ ταῦτα τοὺς ἱππεῖς τὸ μὲν παλαιὸν ὑστέρους εἰώθεσαν δοκιμάζειν ἐπὶ τοῖς τετρακισχιλίοις διακοσίοις, νῦν δὲ προτέρους — — καὶ ποιοῦσι τριακοσίους εἰς ἕκαστον στρατόπεδον.* Anno CCCCXV. „scribebantur autem quattuor fere legiones quinis milibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis“ (Liv. VIII. 8.). Deminuti videntur pedites inde ad annum CCCCXCIII., quum Polybius I, 16. quattuor legiones Romanas memoret: *ἀνὰ τετρακισχιλίους πεζούς, ἱππεῖς τε τριακοσίους.* Id cum eo convenit, quod anno DXXXIV. „Sempronio datae legiones duae, ea quaterna milia erant peditum, et trecenti equites — — Cornelio datae duae Romanae legiones cum suo iusto equitatu — — Duas legiones Romanas et decem milia sociorum peditum, mille equites socios, sexcentos Romanos Gallia provincia eodem anno versa in Punicum bellum habuit“ (Liv. XXI, 17.). De anno DXXXVI. variarunt iam apud Livium XXII, 36. auctores: „Decem milia novorum militum alii scripta in supplementum, alii novas quattuor legiones, ut octo legionibus rem gererent, numero quoque peditum equitumque legiones auctas, milibus peditum et centenis equitibus in singulas adiectis, ut quina milia peditum, treceni (?) equites essent.“ Nisi auctores illi crediderint, equitum tantum ducentos *) legioni antea additos esse, quod vix adfirmare ausim, hoc loco quadringeni legendum est, quamvis et Appianus H. R. VII, 8. trecentos tantum nominet. (Error inde ortus est, quod hic equitum numerus legitimus et antiquitate sancitus memoriam computantis semper occupavit.) Etenim anno DXXXVII. „decreverunt patres, ut Q. Ful-

*) Livius ipse XXVIII, 2: „Erant autem in Celtibero exercitu quattuor milia scutatorum et ducenti equites; hanc iustam legionem (et id ferme roboris erat) in prima acie locat [Mago]: ceteros, levem armaturam, in subsidiis ponit.“

vius Flaccus quinque milia peditum, quadringentos equites scriberet, eamque legionem primo quoque tempore in Sardiniam traiiciendam curaret.“ (Liv. XXIII, 34.). Anno DXLVIII. Scipio supplevit ita duas „legiones, ut singulae sena (?) milia et ducenos pedites, trecenos haberent equites.“ (Liv. XXIX, 24.). Sed hoc loco quina legendum esse vix dubito. Vide XLII, 31. et Paullum ex Festo s. v. Sex milium. Anno DLXII. „duae legiones Romanae, duae socium ac Latini nominis erant: quina milia et quadringenos singulae habebant.“ (Liv. XXXVII, 39.). Anno DLXX. conscribi placuit „quattuor legiones in Ligures, uti singulae quina milia et ducenos pedites, trecenos haberent equites.“ (Liv. XL, 1. et 18.). Anno DLXXII. „de Ti. Sempronii deinde exercitu actum est. novam legionem ei quinque milium et ducentorum peditum cum equitibus quadringentis consules scribere iussi.“ (Liv. XL, 36.). Antiquus legionis numerus anno DLXXIII. apparet, quanquam non iustam effecit; etenim „in supplementum consules scribere iussi ad tria milia peditum, trecentos equites.“ (Liv. XL, 44. cf. XLIII, 12.) Anno DLXXV. „in Sardiniam duae legiones scribi iussae; quina milia in singulas et duceni pedites, treceni equites.“ (Liv. XLI, 9.) Anno DLXXVIII. M. Atilius praetor „cum legione nova, quam consules conscripserant, quinque milibus peditum, trecentis equitibus, in Corsicam iussus est transire — — Duas praeterea legiones consules scribere iussi cum iusto numero peditum equitumque.“ (XLI, 21.). Anno DLXXXI. „legiones quattuor novas scribi placuit, binas singulis consulibus. Id praecipue provinciae Macedoniae datum, quod, quum alterius consulis legionibus quina milia et duceni pedites*) ex vetere instituto darentur in singulas legiones, in Macedoniam sena milia peditum scribi iussa; equites treceni aequaliter in singulas legiones.“ (XLII, 31. cf. 35.). Eodem anno „Cn. Sicinius, qui, priusquam magistratu abiret, Brundisium ad classem et ad exercitum praemissus erat, traiectis in Epirum quinque milibus peditum, trecentis equitibus, ad Nymphaeum in Agro Apolloniati castra habebat.“ (XLII, 36.). Anno DLXXXIII. „veteres milites dimitti, ita ut in singulas Romanas legiones ne plus sena milia peditum, treceni equites essent. Alteri consuli nullus certus finitus numerus civium Romanorum, quem in supplementum legeret; id modo finitum, ud duas legiones scriberet, quae quina milia peditum et ducenos haberent, equites trecenos — — —

*) Sic legendum, non equites, quod apud Drakenborchium et Boehmertium obvium omni sententia caret.

In Hispaniam . . . . finitus — — in legiones militum numerus, peditum quina milia, treceni et triceni equites.“ (XLIII, 12.). Anno DLXXXIV. consul iussus in Macedonia non „plus quam duas legiones esse, eas repleri, ut sena milia peditum, trecenos haberent equites — —“ Praesidium „additum Anicio praeter duas legiones, quas portare in Macedoniam est iussus, quina milia peditum et ducenos habentes, trecenos equites.“ (XLIV, 21.) Verum teste Paullo ex Festo: „sex milium et ducentorum hominum legionem primus Gaius Marius conscripsit, quum antea quattuor milium fuissent, unde etiam quadrata appellabatur.“ De posterioribus temporibus Hesychius, Vegetius II, 6. alii conferantur.

In tam diverso peditum numero Vergilius eum sibi tenendum ratus est, qui et equitum constantissimus et peditum antiquissimus erat. Sed nescio an etiam singulis copiis mille, sexcentorum, trecentorum, iterumque mille militum Aen. X, 167. 172. 173. 178. subiectae sint rationes quaedam nondum exploratae. Ut a postrema acie ordiamur, Asilas tertius X, 178:

Mille rapit densos acie adque horrentibus hastis.

Quid? Nonne hic a poeta hastatos illos legionis Romanae tacite esse expressos arbitrabimur? Quodsi enim in legione illa, quae quaternum milium erat, mille et ducenti teste Polybio VI, 21. erant hastati: pro rata parte in hac trium milium vel duum milium nongentorum, mille esse oportet. Regrediamur deinde ad primam aciem X, 166:

Massicus aerata princeps secat aequora tigri,
Sub quo mille manus iuvenum, qui moenia Clusi,
Quique urbem liquere Cosas, quis tela sagittae
Gorytique leves umeris et letifer arcus.

Nonne hoc loco vocabulum princeps paene indicat, principes militum Romanorum esse significatos, quorum Polybius eundem quem hastatorum numerum statuit: *Διαιροῦσι δ' αὐτοὺς τὸν τρόπον τοῦτον, ὥστ' εἶναι — — — τοὺς δὲ πρίγκιπας, χιλίους καὶ διακοσίους· ἴσους δὲ τούτοις τοὺς Ἀστάτους.* Inter hanc utramque a Vergilio nominati sunt mediae duae manus; priorem habet torvus Abas, X, 172:

Sescentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuvenes.

Quinam sunt illi sexcenti? Audiamus Polybium: *Διαιροῦσι δ' αὐτοὺς τὸν τρόπον τοῦτον, ὥστ' εἶναι τοὺς μὲν πρεσβυτάτους καὶ Τριαρίους προσαγορευομένους ἑξακοσίους.* Triarii igitur illi sunt experti belli iuvenes, quos Polybius l. l. §. 9. et 7. *πρεσβυτάτους*

appellat et sexcentos fuisse memorat. Attamen, inquies, Polybius legionem quaternum milium ante oculos habuit, in qua maiore fuerunt plures, ut apud principes et hastatos demonstraverim; Vergilium vero, quum trium tantum milium animo proposuerit, oportet numerum praebere minorem. Verum enim vero hanc ipsam opinionem refutat idem Polybius §. 10. adfirmando, hunc numerum constantissimum esse: Ἐὰν δὲ πλείους τῶν τετρακισχιλίων ὦσιν, κατὰ λόγον ποιοῦνται τὴν διαίρεσιν, πλὴν τῶν Τριαρίων· τούτους ἀεὶ ἴσους. Pergit Vergilius X, 173:

ast Ilva trecentos
Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.

Quaeri potest, an hi etiam ad expertos belli iuvenes pertineant. Quodsi pertinerent, nongenti efficerentur, atque omnis nostra ratio vana. Fortasse sunt velites, γροσφομάχοι vel γροσφοφόροι, quos Polybius l. l. §. 7. τοὺς μὲν νεωτάτους καὶ πενιχροτάτους appellat. Ceterum, etiam si singula haec errore credideris obstricta, observes tamen, saepius in legionis Romanae institutione apud Livium VIII, 8. numerum trecentorum et sexcentorum occurrere. Quindecim enim manipuli, quum manipulus vicenos milites contineat, trecentos, triginta sexcentos efficiunt. Fac igitur, et nostram horum numerorum observationem falsam esse, quodsi id tantum peregerim, ut subtiliora hic subesse intellexerint Vergilii lectores, poetamque alios fortasse calculos condidisse, quantumcumque de meis circumcidant atque amputent: si non omnia mihi evertant, contentus ero.

Triplex igitur acies in illis Maronis versibus nobis est proposita. Quid? Nonne id confirmatur IX, 25:

Iamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives ecum, dives pictai vestis et auri;
Messapus primas acies, postrema coercent
Tyrrhidae iuvenes; medio dux agmine Turnus.

Nisi me omnia fallunt, hic ordo a legione Romana est depromptus, isque poetae menti obversatur, quoties *primam ante aciem* fieri aliquid dicit v. g. IX, 595. X, 643. VII, 531. VIII, 561. Triplex denique acies distingui potest, legionis Aeneadum vallis in oppido suo obsessae X, 123:

1) *Asius Imbrasides Hicetaoniusque Thymoetes*
Assaracique duo et senior cum Castore Thymbris,
Prima acies. 2) *Hos germani Sarpedonis ambo,*
Et Clarus et Themon, Lycia comitantur ab alta.
3) *Fert ingens toto conixus corpore saxum,*
Haud partem exiguam montis Lyrnesius Acmon,

Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi iaculis, illi certant defendere saxis,
Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.

Quanquam speciem quandam veri prae se fert, qui hoc loco duplicem aciem, non triplicem esse adfirmet. Denique notandum, non raro nomen legionis per Aeneidem diffusum esse, ubi pro parte exercitus indefinita ponitur v. g. VII, 681:

Hunc legio late comitatur agrestis.

VIII, 604:

Celsoque omnis de colle videri
Iam poterat legio.

XII, 120:

Procedit legio Ausonidum.

Aeneas XII, 562:

Tumulumque capit, quo cetera Teucrum
Concurrit legio.

eadem ratione etiam *equitatus, equitum* v. g. VII, 804. VIII, 518. 585. X, 364. XI, 433. 464. 512. XII, 288., quibus omnibus Homericam Vergilianamque aciem toto coelo discrepare vides.

§. 27.

De cohorte, maniplo, ala, turma.

Quemadmodum supra vidimus, a poeta naturam cum negotio aliquo vel eventu in societate humana peracto comparari, ita interdum etiam humana cum humanis conferri animadvertere possumus. Georg. II, 284. poeta iubet, ut in arboribus disponendis *omnia sint paribus numeris dimensa viarum,*

Ut saepe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto,
Directaeque acies, ac late fluctuat omnis
Aere renidenti tellus, necdum horrida miscent
Proelia, sed dubius mediis Mars errat in armis.

»Sciendum est autem, inquit Vegetius II, 6., in una legione decem cohortes esse debere.« Serv. ad Aen. XI, 463: »Legio autem habet decem cohortes, sexaginta centurias.« In legione itaque trium milium militum cohortem trecentos pedites complecti oportebat; verum in hac nominanda Vergilius poetica licentia est usus. Nusquam enim certa qaedam dinumeratio potest dispici; cohortis vocabulum pro maiore aliquo vel minore etiam divisione adhibuit v. g. de navibus III, 563:

Laevam cuncta cohors remis ventisque petivit.

Memoratur VII, 710:

Una ingens Amiterna cohors priscique Quirites.

Usurpatur de septem tantum militibus X, 328:

Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Pherci
Progenies, septem numero, septenaque tela
Coniciunt.

Immo XI, 500. de turma equitum Camillam comitante:

Quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis.

Cohortem vero de equitatu quoque in lingua Romanorum militari dici, iam in libro meo, qui inscribitur: Centralmuseum rheinländischer Inschriften III. Bonn. 1842. p. 86. his exemplis demonstravi. Gruter. MCVIII, 5. (Orell. 3398.): PRAEF. COH. PRIMAE. EQVITATAE. CIV. ROM. IN. GERM. INFERIORE., DXL, 5: CHOR. I. ALP. EQ., Orell. 1549: PRAEF. COH. VIII. THRACVM. EQVITVM. ALAE., Lehn. 257: EQ. EX. COH. I. ASTVRVM., 281: EQ. EX. CO. IIII. TRAC. Ammian. Marcell. XIV, 2, 12: »equestrium adiumento cohortium.«

Minores deinde milites manipulis continebantur; Cincius enim in sexto de re militari docuit teste Gellio XVI, 4: »In legione sunt centuriae sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.« Legio igitur quando tria milia continebat, manipulus erat centum militum, totidem itaque quot centuria, si nomen spectamus; et revera Vegetius II, 14. centuriam et manipulum non distinguit, atque Isidorus, qui legionem sex milium IX, 3, 46. numerat, manipulo ducentos milites adsignat. Apud Cincium vero centuria dimidia solum manipuli pars. Attamen, ut ut res se habeant, neque in manipulo Vergilius ad regulam et amussim est resecandus. Bis tantum hanc vocem in Aeneide habet XI, 463:

Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis.

XI, 870:

Disiectique duces desolatique manipli
Tuta petunt.

Centuriones tamen, id est, centum militum magistri manifesto significantur IX, 161:

Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,
Delecti; ast illos centeni quemque secuntur.

ubi Servius: »centurionum scilicet ex more Romanae militiae.«

Communem illam et indistinctam significationem habet vox quoque alae, quam de equitibus potissimum adhiberi video XI, 604:

Et cum fratre Coras et virginis ala Camillae
Adversi campo adparent.

Tarchon XI, 730:

Fertur equo, variisque instigat vocibus alas.

XI, 835:

Tyrrhenique duces Euandrique Arcades alae.

XII, 851:

Tuscorumque phalanx Euandrique Arcades alae.

XI, 868:

Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillae.

de venatione IV, 121:

Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt.

Alae vero, ut Cincius de re militari apud Gell. XVI, 4. scripsit, »dictae exercitus equitum ordines.«

Turmae Varro ter denos equites tribuit; apud Vergilium sunt XI, 598:

Etruscique duces equitumque exercitus omnis
Compositi numero in turmas.

Id saltem poeta observavit, ut non pedites vocabulo illo notaret. Inde V, 550:

Ducat avo turmas.

V, 560:

Tres equitum numero turmae ternique vagantur
Ductores.

Turnus Arcadibus equitibus et Etruscis vult X, 239:

Medias illis opponere turmas.

Camilla XI, 503:

Audeo et Aeneadum promitto occurrere turmae
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.

XI, 518:

Tecum acer Messapus erit turmaeque Latinae.

XI, 620:

Princeps turmas inducit Asilas.

Cic. 116:

Volitantes agmine turmas.

Semel ad pedites referenda est X, 310., ubi Aeneas:

Primus turmas invasit agrestis.

§. 28.

De phalange et caterva.

Vegetio II, 2. teste „Macedones, Graeci, Dardani phalanges habuerunt et in una phalange armatorum octo milia censuerunt.« Quamvis hic Dardanos videas nominatos Vergiliumque etiam phalange usum possis auctorem fidum et accuratum vindicare, fatendum tamen, Macedonum potissimum phalangem fuisse, cuius rei documentum non opus est ut Livium IX, 19. alios adferamus. Neque poetam inde excusare in animo est, quod eodem Livio VIII, 8. auctore Romanorum fuere „antea phalanges similes Macedonicis, — postea manipulatim structa acies coepit esse —" sed hoc solum ei concedamus, ut diversarum aetatum gentiumque apparatum ordinemque militarem carminis ornandi variandique gratia adoptaverit. Neque ita vocem illam velimus accipere, ut octo milia a poeta dinumerari argutemur, sed ut simpliciter aciem structam atque directam intelligamus. De classe adeo dictum est II, 254:

Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat.

Conspiciuntur apud inferos ab Aenea VI, 489:

Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges.

Occiditur Aeolus XII, 544:

Argivae quem non potuere phalanges
Sternere.

Pallantis corpus XI, 92:

Maesta phalanx Teucrique secuntur.

Pugnant XII, 551:

Tuscorumque phalanx Euandrique Arcades alae.

Messapus et Atinas aciem sustentant, XII, 662:

Circum hos utrimque phalanges
Stant densae.

Immo nominantur octo fratres XII, 277:

animosa phalanx accensaque luctu.

ita ut non numeri, sed fortitudinis virtutisque a poeta in hoc vocabulo adhibendo rationem habitam esse videamus.

Vegetius II, 2: „Galli, inquit, atque Celtiberi pluresque barbaricae nationes catervis utebantur in proelio, in quibus erant sena milia armatorum." Tu ne putes poetam Gallicum quid Celtibericumve in animo habuisse, quando VII, 804:

Florentis aere catervas,

VIII, 593:

Fulgentis aere catervas,

nominet. Item X, 194:

Filius, aequalis comitatus classe catervas,

Ornytus X, 682., qui

Ipse catervis

Vertitur in mediis.

XI, 553:

Sacra caterva,

XI, 564:

Magna — — caterva,

et vox illa Tolumnii XII, 264:

Vos unanimi densate catervas.

nulla notione singulari sunt explicanda. Talibus vocabulis et poeta et scriptores ad vulgarem consuetudinem utuntur.

§. 29.

De tironum exercitationibus.

Vegetio II, 23. auctore iuniores quidem et novi legionis milites mane et post meridiem ad omne genus armorum exercebantur, veteres autem et eruditi sine intermissione semel in die exercebantur in armis. Ad palum vel sudes iuniores exerceri, saltus quoque vel ictus facere, sagittis signum tangere, manu sola libralia saxa iactare, missilia dirigere, silvam caedere, portare onera, natare in mari vel fluminibus, currere etiam armati cum sarcinis suis adsuefacti sunt. De oneribus portandis Vegetius I, 19: „Pondus quoque, ait, baiulare usque ad LX. libras et iter facere gradu militari frequentissime cogendi sunt iuniores — — — Quam rem antiquos milites factitavisse Vergilio teste [Georg. III, 346.] cognoscitur, qui ait:

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Iniusto sub fasce viam cum carpit et hosti
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.“

Eandem ob causam VII, 162. Latini

Ante urbem pueri et primaevo flore iuventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.

Quod equites attinet, Vegetio I, 18. teste „non tantum — a tironibus, sed etiam a stipendiariis militibus salitio equorum districte

est semper exacta — tantaque cura erat, ut non solum a dextris sed etiam a sinistris partibus et insilire et desilire condiscerent, evaginatos etiam gladios vel contos tenentes. Hoc enim adsidua meditatione faciebant, scilicet ut in tumultu proelii sine mora ascenderent." Non raro vero factum est, ut in ipso proelio equites, ubi loco aspera, impedita essent, de equis desilirent victoriamque reportarent. Qua de causa a Vergilio X, 364. nominari videmus fugientes

Arcadas, insuetos acies inferre pedestris —
Aspera quis natura loci dimittere quando
Suasit equos.

Latini contra XII, 288:

Corpora saltu
Subiciunt in equos.

Camilla vero cum Volscis omni arte equestri probata Turno XI, 500:

Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit, quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis.

Postea quoque XI, 710. contra filium Auni pugnans

Tradit ecum comiti, paribusque resistit in armis
Ense pedes nudo.

Ita porro X, 453:

Desiluit Turnus biiugis, pedes apparat ire
Comminus:

XII, 355:

Sistit equos biiugis, et curru desilit.

Verum haec posteriora ad aliam paene speciem pertinent. Mos ille in ipso proelio de equis desiliendi peditumque more pugnandi in historia Romana non raro obvius est. Cf. Liv. II, 20: „Tum ad equites dictator advolat obtestans, ut fesso iam pedite descendant ex equis et pugnam capessant. Dicto paruere, provolant in primum et pro antesignanis parmas obiciunt." III, 62: „Equites duarum legionum sexcenti fere ex equis desiliunt, cedentibusque iam suis provolant in primum." IV, 38. labente iam re Sex. Tempanius exclamat: „ut equites, qui salvam rempublicam vellent esse, ex equis desilirent." VII, 7: „Postquam equestris pugna effectu, quam conatibus, vanior erat, consulto prius dictatore equites, permissu deinde eius, relictis equis clamore ingenti provolant ante signa, et novam integrant pugnam.« XXXI, 35: »Equites, ut semel

in hostem erecti sunt, stantibus equis, partim ex ipsis equis, partim desilientes immiscentesque se peditibus pugnabant.« XXXIX, 31: »Coactique sunt Romani equites descendere ex equis.« Caesar B. Gall. IV, 2. de Suevis narrat: »Equestribus proeliis saepe ex equis desiliunt ac pedibus proeliantur, equosque eodem remanere vestigio adsuefaciunt, ad quos se celeriter, quum usus est, recipiunt.« Cf. IV, 12.

Celeritati illi et exercitationi Aen. VII, 163. memoratae compares aptissime, quam sibi ipsis laudem consciscunt Itala iuventus IX, 603—613., quos lectori versus legendos relinquimus. Huic iuventuti 606:

Flectere ludus equos et spicula tendere cornu.

Apud Didonem vero in civitatem segnitie inlapsa IV, 86:

Non coeptae adsurgunt turres, non arma iuventus
Exercet.

Opus vero erat, ut, qui pro patria stipendia faceret, ingenuus natus esset; de serva vel servo natus non potuit arma ferre; unde Helenorem IX, 547. *vetitis armis* militasse narrat. Nobiliores viro in re militari probato addebantur, ut virtutem et obedientiam edocerentur. Inde Evander Pallantem Aeneae tradit VIII, 514:

Hunc tibi praeterea, spes et solacia nostri,
Pallanta adiungam; sub te tolerare magistro
Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Adsuescat, primis et te miretur ab annis.

§. 30.

De lorica ac thorace.

Apud Homerum triplex est pectoris tergique in pugnis vestimentum ac munimentum; θώραξ enim vel στάδιος est γυάλοισιν ἀρηρώς, γυάλοις συνηρμοσμένος, vel στρεπτός isque ἁλυσιδωτός, si annulorum catenis est constrictus, et λεπιδωτός, φολιδωτός, si squamis est consertus, vel λινοθώρηξ, debilioribus concessus. Uterque priorum aere semper constat. Duplex tantum apud Romanos erat forma. Quamvis enim Tolumnii Etruscorum regis thorax linteus Liv. IV, 20., Samnitium X, 38. legio linteata memoretur, a Romanis tamen ad Galbam et Caracallam usque non est adoptata. Distinguuntur potissimum loricae thoracesque (Liv. XLII, 61.). Iam Varro L. L. V. §. 116: »Lorica quod e loris de corio crudo pectoralia faciebant: postea subcidit Gallica e ferro sub id voca-

bulum ex anulis ferrea tunica.« Lorica itaque eo a thorace differt, quod illa semper parvis laminis vel anulis est connexa, hic integro metallo est fusus. Variae itaque sunt loricarum genera, ut plumata. Iustinus XLI, 2. de Parthis, quos Antonius debellavit, narrat: »Munimentum ipsis equisque loricae plumatae sunt, quae utrumque toto corpore tegunt.« Quibus comparandus est Phrygius ille Chloreus apud Vergilium XI, 770:

Spumantemque agitabat ecum, quem pellis aenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Servius: „Cataphractum eum fuisse significat. Cataphracti autem equites dicuntur, qui et ipsi ferro muniti sunt et equos similiter munitos habent, de quibus Salustius: Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae adnexuerant.« Sed ex illo ipso Maronis loco efficitur deinde squamata. Pellis enim aenis squamis auro conserta erat. Cf. IX, 707:

Nec duplici squama lorica fidelis et auro
Sustinuit.

ubi Servius recte: »i. e. duplicibus squamis aureis.« Quod deinde addit: »Squamae autem sunt loricarum catenae in modum squamae compositae« rem non acu tetigisse videtur. Squamae potius sunt lamellae, ita formatae, quales piscium vel anguium esse solent. Cf. Gell. II, 6. Talem duplicem squamarum vel potius catellarnm texturam significare videtur poeta XII, 375. memorans *bilicem loricam*, cui adiungas VII, 639:

Clipeumque auroque trilicem
Loricam.

(Quam non linteam esse posse, ex auro adiecto vides) et III, 467:

Loricam consertam hamis auroque trilicem.

ubi Servius: »Hamis autem catenis significat.« V, 259:

Levibus huic hamis consertam auroque trilicem
Loricam.

Huc quoque pertinere videtur X, 313., ubi Aeneas Theroni

Gladio perque aerea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus hausit apertum.

Servius: »*Tunicam squalentem* splendentem loricam.« Quae quum ita sint, quid memoremus VIII, 621. Aeneae

Loricam ex aere rigentem
Sanguineam ingentem?

At Turni armaturam nonne miremur XII, 87:

Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
Circumdat loricam umeris.

Orichalcum metallum pretiosissimum quale fuerit, naturae scrutatoribus relinquendum existimo. Loricam igitur Turnus hic induit auream, contra XI, 487:

Iamque adeo Rutulum thoraca indutus aenis
Horrebat squamis.

Cur poeta hoc loco thoracem nominaverit, quum e squamis aenis conserta potius sit lorica, neque metri necessitas ipsum coegerit, in quaestionem possit venire. Sed in talibus poesi quoque aliquid concedendum esse existimo. Idem sibi vindicavit in lorica plumata nominanda Statius Theb. XI, 543:

Qua male iam plumis imus tegit inguina thorax.

Rarius vero a Vergilio thorax memoratur. Bello imminente VII, 633:

Alii thoracas aenos
Aut levis ocreas lento ducunt argento.

unde materiam saltem conspicis. Ceteri loci X, 337. XI, 9. XII, 311. nil habent, quod explicatione egeat. Silentio tamen non praetereundam duco, quam Cyclopes fabricant, VIII, 435:

Aegidamque horriferam, turbatae Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Conexosque anguis ipsamque in pectore divae
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.

Quam descriptionem ut ab artis monumentis expressam esse intimo sensu percipias, conferas C. O. Mülleri et Oesterleii monumenta artis antiquae. Gottingae. II, 2. Tab. 19. sq.

§. 31.

De clipeo, scuto, parma, pelta, cetra, ancili.

Corporis tegumentum, quod non galea, lorica ocreis omninoque quasi quodam vestitu bellico constabat, apud Homerum duplicem habet formam, unam maiorem, altiorem, σάκος, qua heroes fortiores utuntur, alteram minorem, leviorem, ἀσπίδα, qua debiliores membra tuebantur. Quod inter σάκος atque ἀσπίδα discrimen constantissimum nondum satis perspectum vix duobus in Iliade locis non conspicitur. Maior in pugna Vergiliana obviam se fert copia. Non bina enim, sed quina specie colli, bracchiorum ventrisque tegumentum effictum esse videmus, ita ut omnis e bellorum Romanorum armorumque vario genere usus a Marone in carminis commodum sit exhaustus.

1. Clipeus, qui magnitudine et materia ad σάκος Homericum

accedit, virisque ingentibus tribuitur, ex omni parte erat rotunda et orbiculata. Quod ipse poeta III, 637. ostendit, quum oculum Cyclopis ingentem ab Ulissis sociis telo acuto adusto perfossum nominat

Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar.

At quominus dicas Argolicum tantum clipeum, qui hic cum sole comparetur, fuisse rotundum, ii prohibebunt loci, quibus de eius orbe sermo est, ut II, 227. angues

Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur,

Aeneas X, 546:

Et totum clipei ferro deiecerat orbem.

Aeneae hasta in Turnum missa recludit XII, 925:

Clipei extremos septemplicis orbis.

Deinde animadvertendum, clipeum corio taurino esse conglutinatum. Bitias IX, 706. non iaculo, sed phalarica *fulminis acta modo* conficitur, quae per *duo taurea terga* loricamque penetrat. Clipeum poetam in animo habuisse, vides IX, 709:

Et clipeum super intonat ingens.

et clipeum quidem, qui duobus tauri tergis constabat. Ut Homerus, ita Vergilius aes quoque adhibet. Ita Aeneas Mezentii XI, 10:

Clipeumque ex aere sinistrae
Subligat.

Aeneae hasta X, 336:

Volans clipei transverberat aera
Maeonis.

Cupenco XII, 541:

Nec misero clipei mora profuit aerei.

Neque ex his solum, sed ferro etiam, quo Homerus abstinuit, poeta fingit Pallanti X, 482:

Clipeum, tot ferri terga, tot aeris,
Cum pellis totiens obeat circumdata tauri.

Loco ferri linum et hoc Homero inauditum, dedit Mezentii clipeo, in quem Aeneae hasta missa X, 783:

Illa per orbem
Aere cavom triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus.

De quo ne Servium sequaris hariolantem: „Lino enim tegebantur scuta, ut possit inhaerere pictura.“ Neque enim de scuto, nec de pictura loquitur poeta, sed ordinem explicat, quo Aeneae telum singulas tegumenti series percusserit. Primum enim id est exterius

aes triplex, deinde linum, denique corium triplex taurinum penetrat. In lino vero adhibendo nullus dubito, quin Maronis doctrina quaedam nobis incognita ex annalibus fortasse vel templis Romanorum petita lateat. Ut Mezentio, ita Aeneae hasta Turno recludit XII, 925:

Clipei extremos septemplicis orbis.

in quo numero poeta σάκος Aiacis Telamonii Homericum, Sophocleum ἑπταβόειον secutus est, materiam vero, ut vidimus, mutavit. Denique Cyclopes Aeneae XII, 447:

Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum, septenosque orbibus orbes
Inpediunt.

Quari potest, an poeta in hoc describendo revera animo suo proposuerit septem orbes, in quos illud *clipei non enerrabile textum* diviserit. Quid suspicatus et auguratus sim, lectores audiant, neque quaeso accipiant tanquam sententiam apud me fixam et statutam, sed qualis hominum mentes inlabi soleat saepenumero fallax et vana. In septem orbes vel tabulas omnis illa descriptio facili opera potest distribui, ita ut prima avos inde ab Ascanio lupamque fratres geminos in antro nutrientem contineat (VIII, 628: *illic.*), secunda bellum foedusque Sabinum (635: *Nec procul hinc*), tertia Mettum quadriga discissum (642: *Haud procul inde.*), quarta Porsennam ante portas Romae, cuius Capitolium cum Romuli regia e longinquo conspiciebatur. Capitolio poeta Gallos addiderat ab una parte saxosa exteriore aggredientes, ab altera interiore Salios Lupercosque matronasque supplicantes (VIII, 646: *Nec non.* 655. *Adque hic.* 663: *Hic.*) Ad imam, ut videtur, marginem in quintam ni fallor, tabulam relegaverat Tartarum et Elysium (VIII, 666: *Hinc procul*). Sexto loco 670:

Haec inter tumidi late maris ibat imago,
Aurea, sed fluctu spumabant caerula cano;
Et circum argento clari delphines in orbem
Aequora verrebant caudis aestumque secabant.

In medio vero mari bella Actiaca cum omni suo apparatu bellico, Romano, Aegyptiaco, 700:

Saevit medio in certamine Mavors
Caelatus ferro.

Cleopatram Vulcanus 709. pallentem fecerat. In quibus et metalla et metallorum colores non sine arte disposuit Vergilius, omninoque in hac tabula dignum exhibuit, quod pictor quispiam conetur effingere, Romanae gloriae monumentum. Denique septima

tabula 714. Augusti triumphum mira felicitate condidit. Ordo, quidcunque de hac dispositione senseris, talis erit, ut Capitolium in summo (652.) clipeo, Tartarum in imo, mare in medio fuisse ipse cognoscas. Ab Homeri clipeo hoc maximopere distat, quod ille omnem vitam humanam et belli tumultu et pacis artibus insignem, olympum terramque et oceanum, noster vero, qui iam libro sexto viros in republica spectatissimos laudaverat, hic bella praecipue ad Romanorum virtutem celebrandam expressit, vitam vero privatam omnino misit, Homerus integrum orbem terrarum, Vergilius caput orbis spectavit. Verum Graecum forsitan exemplum non secutus esset poeta, si non Romanorum quoque mos fuisset clipeos insigni aliquo ornandi. Talia enim insignia, e quibus et medii aevi et nostrae aetatis nobilium signa et sigilla originem traxerunt, apud multos iam antiquos populos exstiterunt. De Romanis haec testimonia sufficiant, Cic. de orat II, 66, 266: „Demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico, sub Novis, distortum, eiecta lingua, buccis fluentibus.“ Plin. N. H. XXXV, 4. Veget. II, 18: „Sed ne milites in tumultu proelii a suis contubernalibus aberrarent, diversis cohortibus diversa in scutis signa pingebant, ut ipsi nominant δείγματα, sicut etiam nunc moris est fieri.“ et quae in notitia dignitatum, columna Traiana, Aureliana, et apud Vergilium huius moris occurunt documenta. Coroebus II, 389. suadet:

Mutemus clipeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus.

Idem II, 392:

Androgei galeam clipeique insigne decorum
Induitur.

Postea II, 422. Graeci

Adparent: primi clipeos mentitaque tela
Adgnoscunt.

VII, 657:

Pulcher Aventinus clipeoque insigne paternum
Centum anguis cinctamque gerit serpentibus Hydram.

Denique Turno VII, 789:

Levem clipeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam saetis obsita, iam bos,
Argumentum ingens, et custos virginis Argus,
Caelataque amnem fundens pater Inachus urna.

(Cf. Monument. ined. dell' instit. archeol. Vol. II. Tab. 59.). Ne vero clipeo inlato alienum quid ab antiquo habitu Romano in carmen irrepsisse putetur, audiatur Livius VIII, 8: »Clipeis

antea Romani usi sunt, deinde, postquam stipendiarii facti sunt, **scuta** pro clipeis fecere.«

2. **Scutum** ab eo inde tempore Romanis proprium fuit. Idem Livius IX, 19: „Arma, inquit, clipeus sarissaeque illis [Macedonibus], Romano scutum, maius corporis tegumentum et pilum haud paulo, quam hasta, vehementius ictu missuque telum.« Scutum igitur describit Polybius VI, 23: Ἔστι δ' ἡ Ῥωμαϊκὴ πανοπλία πρῶτον μὲν θυρεός, οὗ τὸ μὲν πλάτος ἐστὶ τῆς κυρτῆς ἐπιφανείας πένθ' ἡμιποδίων· τὸ δὲ μῆκος ποδῶν τεττάρων· ὁ δὲ μείζων ἔστι καὶ παλαιστιαῖος. ἐκ διπλοῦ σανιδώματος ταυροκόλλῃ πεπηγώς, ὀθονίῳ, μετὰ δὲ ταῦτα μοσχείῳ δέρματι περιείληπται τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν. ἔχει δὲ περὶ τὴν ἴτυν ἐκ τῶν ἄνωθεν καὶ κάτωθεν μερῶν σιδηροῦν σιάλωμα, δι' οὗ τάς τε καταφορὰς τῶν μαχαιρῶν ἀσφαλίζεται καὶ τὰς πρὸς τὴν γῆν ἐξερείσεις. προσήρμοσται δ' αὐτῷ καὶ σιδηρᾶ κόγχος, ἡ τὰς ὁλοσχερεῖς ἀποστέγει πληγὰς λίθων καὶ σαρισσῶν καὶ καθόλου βιαίων βελῶν. Ex ὀθονίῳ vides, unde Vergilius in clipeo delineando supra linum sumpserit, et σιδηρᾶ κόγχος usum ferri quoque satis explicat. Sed ne a Polybio clipeum adumbratum existimes, caveto. Non enim orbiculatus est θυρεός, sed quattuor pedes altus, duos et dimidium latus, maior etiam palmo excedit. Scuta igitur semper oblonga, atque ut e monumentis discitur vel figura ex longo rotunda vel rectangulari incurvata, ita ut corpori quam maxime aptetur. Utram poeta animo conspexerit, an utramque, quis dixerit? Sed VIII, 662. Galli Capitolium obsidentes conspiciuntur

Scutis protecti corpora longis.

Cf. Liv. XXXVIII, 21: „Scuta longa, ceterum ad amplitudinem corporum parum lata, et ea ipsa plana, male tegebant Gallos.“ Longiorem formam ostendit etiam X, 506., ubi socii

Inpositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Poetam vero vel ex aere ferrove scuta cogitare confecta, VIII, 93. *fulgentia longe scuta* demonstrant, sonitusque, qui iis pulsis eduntur VII, 722: *Scuta sonant.* et IX, 666:

Tum scuta cavaeque
Dant sonitum flictu galeae; pugna aspera surgit.

Numerantur inter Turni auxilia VII, 796:

Picti scuta Labici.

quae pictura utrum specialem quandam habuerit rationem, an ex Servii mente viros tantum in bello probatos ostendat, non liquet. Fortasse poeta in animo habuit scuta duorum exercituum Samni-

tium, quorum alterius auro, alterius argento caelaverant Livio teste IX, 40. Apud eundem IX, 39. Papirius in concione de iisdem Samnitibus disserit: „Non enim cristas vulnera facere et per picta atque aurata scuta transire Romanum pilum." Notatu vero dignissimi sunt *equites ex urbe Latina* IX, 370:

Tercentum scutati omnes, Volscente magistro.

Servius: „non clipeati; nam clipei peditum sunt, scuta equitum." Fallitur, ut ex exemplis iam allatis e Livioque patet; scuta enim ad graviorem peditum armaturam maxime pertinent. Ita apud Livium XXVIII, 2. scutati equitibus opponuntur. Cf. VIII, 8: „Robustior inde aetas totidem manipulorum, quibus principibus est nomen, hos sequebantur, scutati omnes, insignibus maxime armis." Non possum, quin ad hanc difficultatem amovendam statuam, poetam legatis regi Turno responsa ferentibus rarum aliquid et singulare tribuere voluisse. Quae enim exinde oritur fortitudo equitum atque habilitas magnis illis tegumentis sese tuentium! Ceterum quod scutati tercentum sunt, exemplo de militia Romana sumpto inlustratur. Lydus enim magistr. P. R. I, 46. narrat, fuisse inde ab anno V. C. CCCLXV: σπείρας μὲν ἀπὸ τριακοσίων ἀσπιδιωτῶν, ἃς καλοῦσι κοόρτης. Scuta vero non semper aere constare, sed viminibus etiam flecti pellibusque tegi, ostendit poeta VII, 632:

Flectuntque salignas
Umbonum cratis.

quibuscum compares Caes. B. Gall. II, 33: „Partim scutis ex cortice factis aut viminibus intextis, quae subito, ut temporis exiguitas postulabat, pellibus induxerant."

3. Scuto minor etiam parma fuit, (Lyd. mag. P. R. I, 11.) atque secundum Varronem L. L. V. §. 115. rotunda: „Parma, quod e medio in omnis parteis par." Varro ἀμουμένειαε, (sic) περὶ μαρτυρίας (Non. s. v. veles) fr. p. 263.: „Quem sequuntur cum rotundis velites leves parmis." Polyb. VI, 22, 2: Ἡ δὲ πάρμη καὶ δύναμιν ἔχει τῇ κατασκευῇ, καὶ μέγεθος ἀρκοῦν πρὸς ἀσφάλειαν· περιφερὴς γὰρ οὖσα τῷ σχήματι τρίπεδον ἔχει τὴν διάμετρον. Cf. Veget. III, 16. Velitibus Liv. XXVI, 4: „parmae breviores, quam equestres" datae sunt. Cf. XXXVIII, 21: „Hic miles tripedalem parmam habet et in dextra hastas, quibus eminus utitur, gladio Hispaniensi est cinctus." XXXI, 35: „Veliti Romano parmam gladiumque habenti." Quid? Nonne hoc armorum genus induitur Helenor apud Vergilium IX, 546:

Maeonio regi quem serva Licymnia furtim
Sustulerat vetitisque ad Troiam miserat armis,
Ense levis nudo parmaque inglorius alba.

Unde vero vetita? Iam Servius hanc curam aufert: „Secundum Donatum vetitis fato, sed melius lege militari intelligimus, qua servi a militia prohibebantur.“ Hunc servum poeta fingit *parma alba.* Servius: „quasi tiro.“ idem ad VII, 796: „Nam apud maiores virorum fortium picta erant scuta, e contra inertium et tironum pura erant.“ Eadem ratione Camilla de equo desilit XI, 711:

Ense pedes nudo puraque interrita parma.

Mezentius X, 800. Lausi, qui prima stipendia meruit, *nati parma protectus* Aeneam effugit, sed ipsum Aeneas interficit ensi X, 817:

Transit et parmam mucro, levia arma minacis.

Turnus IX, 765. occisis:

Addit Halym comitem et confixa Phegea parma.

Quodsi in his omnibus leviores milites tironesque maxime spectavit poeta, equites quoque alias parma armavit. Huc nescio an referenda sit ipsius Camillae parma. Porro XI, 619. versi Latini

Reiciunt parmas et equos ad moenia vertunt.

Aeneas XI, 512:

Equitum levia inprobus arma
Praemisit.

Cf. Liv. IX, 39: „Cornelius respiciens ad manipulos militum quod manu, quod voce poterat, monstrabat, vexilla se suorum parmasque cernere equitum.“ XXVI, 4. Unum invenimus apud Maronem Buten, ingens corpus, neque equitem, neque tironem, cui morienti XI, 693:

Laevo dependet parma lacerto.

4. „Cetra, ait Isidor. XVIII, 12, 5., scutum loreum sine ligno, quo utuntur Afri et Mauri.“ Tacit. Agr. 36: „Britanni ingentibus gladiis et brevibus cetris.“ Caes. B. Civ. I, 39: „Erant — legiones Afranii tres, Petreii duae, praeterea scutatae citerioris provinciae et cetratae ulterioris Hispaniae circiter octoginta.“ I, 48: „Hos levis armaturae Lusitani peritique earum regionum cetrati citerioris Hispaniae consectabantur.“ (cf. I, 78.) Serv. ad Aen. VII, 732: „Scutum loreum, quo utuntur Afri et Hispani.“ Liv. XXXIII, 8: „Philippus cum cetratis et cornu dextro peditum, robore Macedonici exercitus.“ (cf. XLII, 51.) XXXV, 30: „Extemplo cetrati Achaeorum in castra impetum faciunt.“ Ex quibus locis quamvis pateat, cetram multis

populis externis fuisse propriam, Vergilius tamen non indignam habuit, quam Oscis aliisque fortasse Italis tribueret VII, 732:

Laevas cetra tegit; falcati cominus enses.

ut scilicet bellicum apparatum augeret varietateque distingueret. Postea usurpatam eam invenimus apud Sueton. Calig. 19: „Primo die phalerato equo insignisque quernea corona et cetra et gladio aureaque chlamyde."

5. »Pelta, ait Livius XXVIII, 5., cetrae non dissimilis est." saepiusque peltastas a cetratis non distinguit. Attamen discrimen non materiae, sed formae exstitisse licebit. Veri enim simile, quod in monumentis potissimum Etruscis conspicimus corporis tegumentum, ad peltam proxime accessisse. Hanc Amazones apud Vergilium gestant I, 490:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens.

XI, 663:

Feminea exsultant lunatis agmina peltis.

Servius ad priorem locum: „Scutis brevissimis in modem Lunae iam mediae." Amazonum peltam in plurimis videre est nonumentis v. g. De Clarac musées des sculptures antiques et modernes. Planches II. Tab. CXVII, 231. Secundum Vergilium VII, 743. Abellanis, Campaniae populo,

Aerataeque micant peltae, micat aereus ensis.

6. In Aeneae clipeo Vulcanus VIII, 664:
Et lapsa ancilia caelo
Extuderat.

Res e Livii I, 20. notissima: [Numa Salios] „coelestiaque arma, quae ancilia appellantur, ferre, ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu iussit." Quotiens exercitus ad expeditionem iter faciebat, haec arma movebantur. Liv. XXXVII, 33: „Stativa deinde ad Hellespontum aliquamdiu habuerunt, quia dies forte, quibus ancilia moventur, religiosi ad iter inciderant." Ad hunc morem rettulit Serv. VIII, 3: [Turnus]

Utque acris concussit equos, utque inpulit arma.

„Hoc ad pedites pertinet; est autem sacrorum. Nam is, qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus primo ancilia commovebat, post hastam simulacri ipsius, dicens: MARS VIGILA." Attamen obstare videtur, quod bellum iam vexillo proposito indicatum, signo dato inceptum est. Simplicius ergo de armis in universum commotis accipere possis, quum Turnus et equos concutiat,

in quo talis moris nullum cernendum est vestigium. Tale „scutum breve et rotundum" Servio teste VII, 190. et trabeam augures, Dialis et Martialis sacerdos gestabant. Recte igitur Picus cum Quirinali lituo VII, 188:

Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat.

Ancilia expressa habentur in denario argenteo Augusto regnante cuso, in quo medius conspicitur flaminis apex, verbaque: P. STOLO. III. VIR. in Millin. mythol. Gall. Tab. XXXVIII. n. 149., ubi laudatur Fortia Histoire des Saliens p. 173.; porro in gemma Florentina in Reale Galleria di Firenze. Cammei. Tab. XXI. nr. 1. (Millin Tab. XXXVIII. nr. 148.).

§. 32.

De galea, cassida et galero.

Apud Homerum κόρυς et κυνέη ita videntur differre, ut prior capitis tegumentum ex aere confectum maius atque ornatius, posterior de pelle minus solidum significet. Simile quiddam apud Vergilium est observandum, quod qui e Graeca antiquitate, non ex vivo rerum militarium aspectu quotidiano deducere velit, magnae mentis inopiae incusarit poetam. Differunt enim, nisi fallor, galea et galerus eadem proportione. Galea erectior est et firmior, galerus depressior minusque decorus. Galea est *alta* VII, 785., *aerea* X, 836., *aurea* IX, 50., *Argolica* V, 314., heroibusque tribuitur virtutis laude probatissimis. Quorum galeae ut terribiles magis reddantur horridioresque intuitu, cristae adduntur, quae ex cono emergentes unaquaque capitis commotione concutiuntur. Helenus Aeneae donat III, 468:

Et conum insignis galeae cristasque comantis.

Aeneas ipse VIII, 620. a Vulcano effictam, a matre missam miratur:

Terribilem cristis galeam flammasque vomentem.

Mezentius ruit in pugnam X, 869:

Aere caput fulgens cristaque hirsutus equina.

Quoniam vero ab equorum coma hi λόφοι decerpuntur, perpetuo fere epitheto rubentium notantur. Turnum IX, 50:

Cristaque tegit galea aurea rubra.

Eidem IX, 732:

Fremunt in vertice cristae
Sanguineae.

Ascanius ait IX, 269:

Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus; ipsum illum clipeum cristasque rubentis
Excipiam sorti, iam nunc tua praemia, Nise.

Turnus poscit XII, 89:

Ensemque clipeumque et rubrae cornua cristae.

Rutuli, qui in statione vigilias exercent, appellantur, IX, 163:

Purpurei cristis iuvenes auroque corusci.

Pandarus et Bitias IX, 678:

Armati ferro et cristis capita alta corusci.

Sed sufficiant huius moris documenta, quem Romanis non insuetum quidem, in populis vero, quos debellaverunt, maxime conspectum fuisse videmus e Livio IX, 40: [Samnitibus] „galeae cristatae, quae speciem magnitudini corporum adderent.“ X, 38: His [Samnitium legioni linteatae] arma insignia data et cristatae galeae, ut inter ceteros eminerent.“ X, 39. Papirius disserit: „Non enim cristas vulnera facere.“ Unus iterum nobis considerandus est Turnus VII, 785:

Cui triplici crinita iuba galea, alta Chimaeram
Sustinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignis,
Tam magis illa fremens et tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.

Talia animalium hiantium monstra in galeis praesertim barbarorum saepenumero erant efficta, atque poeta nescio an barbarum aliquid voluerit in omni Turni habitu designare. Cf. Plutarch. Mar. 25: *Οἱ δ' ἱππεῖς [τῶν Κίμβρων] — — ἐξήλασαν λαμπροί, κράνη μὲν εἰσασμένα θηρίων φοβερῶν χάσμασι καὶ προτομοῖς ἰδιομόρφοις ἔχοντες, ἃς ἐπειρόμενοι λόφοις πτερωτοῖς εἰς ὕψος ἐφαίνοντο μείζους.* Attamen triplicem iubam crinitam, a Romanis hastatis mutuatus est poeta, si fides habenda est Polybio VI, 23, 12: *Ἐπὶ δὲ πᾶσι τούτοις προσεπικοσμοῦνται πτερίνῳ στεφάνῳ καὶ πτεροῖς φοινικίοις ἢ μέλασιν ὀρθοῖς τρισίν, ὡς πηχναίοις τὸ μέγεθος, ὧν προστεθέντων κατὰ κορυφὴν ἅμα τοῖς ἄλλοις ὅπλοις ὁ μὲν ἀνὴρ φαίνεται διπλάσιος ἑαυτοῦ κατὰ τὸ μέγεθος, ἡ δ' ὄψις καλὴ καὶ καταπληκτικὴ τοῖς ἐναντίοις.*

Cassis deinde apud Vergilium non legitur, semper tantum cassida XI, 775., ubi Chloreo

Aureus ex umero sonat arcus, et aurea vati
Cassida.

ita ut hanc quoque e metallo fabricatam audiamus. Restat galerus. Quum Suetonius (teste Serv. Dan. ad Aen. II, 683. Cf.

Isidor. XIX, 30, 5.) galerum pileum ex pelle hostiae caesae definiverit: non dubitandum, quia in hoc ipso differentia galeae et galeri constet, quod illa potissimum ex aere, argento, auro, hic e pellibus est confectus. Et ipse poeta de legione agresti, quibus neque clipei, nec currus sonant, quique omnino non iusto armorum genere sunt praediti, Praenestinis, Anagninis, aliis dicit VII, 688:

Fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti.

De iunioribus militibus Romanis i. e. velitibus Polybius tradit VI, 22, 3: Προσεπικοσμεῖται δὲ καὶ λιτῷ περικεφαλαίῳ· ποτὲ δὲ ΛΥΚΕΙΑΝῇ τι τῶν τοιούτων ἐπιτίθεται, σκέπης ἅμα καὶ σημείου χάριν, ἵνα τοῖς κατὰ μέρος ἡγεμόσι προσκινδυνεύοντες ἐρρωμένως, καὶ μή, διάδηλοι γίγνωνται. De omnibus militibus Vegetius I, 20: „Usque ad praesentem quoque aetatem consuetudo permansit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus uterentur, quod propterea servabatur, ne gravis galea videretur in proelio homini, qui gestabat aliquid semper in capite." Ursinos pelles signiferis potissimum tribuit II, 20: »Omnes autem signarii vel signiferi, quamvis pedites, loricas minores accipiebant, et galeas ad terrorem hostium ursinis pellibus tectas.«

§. 33.

De ocrea ac perone.

Ad armaturam Romanam supplendam pertinent Lydo de magistr. P. R. I, 12. teste περικνημῖδές τε ὑφανταὶ μέλαιναι, Polybio VI, 23, 8. προκνημὶς χαλκῆ. Quapropter Itali bella paraturi VII, 634:

Aut levis ocreas lento ducunt argento.

Cyclopes Vulcani in usum Aeneae VIII, 624:

Tum levis ocreas electro auroque recocto.

Rusticus Simulus Moret. 121.

Ambit crura ocreis paribus,

quod de peronibus iocose dixit poeta. Huc advocandus Turnus, qui XI, 488:

Horrebat squamis surasque incluserat auro.

Iapis quoque XII, 430:

Ille avidus pugnae suras incluserat auro.

Notatu vero digniores, quam hi qui aureis argenteisque ocreis crura surasque tegunt, ii sunt Latii populi VII, 689., qui

Vestigia nuda sinistri
Instituere pedis; crudus tegit altera pero.

i. e. qui sinistrum pedem nudum, d e x t r u m perone vel ocrea vestitum gerunt. Macrobii error est adfirmantis V, 18. se hunc morem in Italia nusquam repperisse, credentis deinde, poetam ex Euripidis Meleagro hausisse, in quo idem Aetolorum mos perhibeatur:

Οἱ δὲ Θεστίου
παῖδες τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδός,
τὸν δ' ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ
ἔχοιεν, ὃς δὴ πᾶσιν Αἰτωλοῖς νόμος.

intricatus denique error efficientis, propterea Hernicos, quorum est Anagnia, a Pelasgis oriundos hoc vestimento Aetolorum, qui et iidem Pelasgi, a poeta insigniri. Tam scrupulosis spinosisque rationibus et translationibus non utuntur poetae; deinde ne id urgeam, ab Euripide *πέδιλα*, a Vergilio perones nominari, obloquitur etiam, quem idem Macrobius e recondito suo penu nobis ministrat, Aristoteles de poetis secundo: *Τοὺς δὲ Θεστίου κούρους τὸν μὲν ἀριστερὸν πόδα φησὶν Εὐριπίδης ἐλθεῖν ἔχοντας ἀνυπόδετον· λέγει γοῦν, ὅτι· Τὸ λαιὸν ..... ἔχοιεν. ὡς δὴ πᾶν τοὐναντίον ἔθος τοῖς Αἰτωλοῖς· τὸν μὲν γὰρ ἀριστερὸν ὑποδέδενται, τὸν δὲ δεξιὸν ἀνυποδετοῦσιν· δεῖ γάρ, οἶμαι, τὸν ἡγούμενον ἔχειν ἐλαφρόν, ἀλλ' οὐ τὸν ἐμμένοντα.* Vergilio vero Aristotelis libros fuisse notos, non solum poesis ratione habita, sed temporis Sullani potissimum, quo Romae iterum editi sunt, non est quod negemus. Denique exstat sane Italorum natio, quae uno pede calceato, altero nudato ibat ad bellum. In Samnitibus enim teste Livio IX, 40: „s i n i s t r u m c r u s o c r e a t e c t u m." Dextrum apud Vergilium tegi, quum apud poetam legatur, qui ad fidem mere historicam non sit astringendus, nihil impedit. De ipsis Romanis simile quid tradit Vegetius I, 20: „Apud antiquos murus dicebatur pedestris exercitus, nisi quod pilatae legiones praeter scuta etiam cataphractis galeisque fulgebant, usque eo, ut sagittarii sinistra brachia manicis munirentur, pedites autem scutati praeter cataphractas et galeas etiam ferreas ocreas i n d e x t r i s c r u r i b u s cogerentur accipere." Ceterum Dido IV, 518. *unum exuta pedem vinclis* magica sacra perficit. Quae magicae artes quum a Marsis potissimum fuerint excultae, nescio an ab his, qui in confinio saltem Gabinorum, Praenestinorum, Anagninorum positi sunt, hic mos derivari potuerit. Cinctum denique togae Gabinum facile aliquis comparaverit. Quae talis ritus causa fuerit, quaeri potest. Rettulerunt ad pugnam. Servius sinistrum ait in pugnantibus primum esse, tegi vero scuto. Sed de scuto hoc de Praenestinis ridiculum est ad-

firmari; nam teste poeta illis *nec clipei currusve sonant;* deinde in universum non video, quomodo miles pedes vel crura scuto possit servare, nisi superius collum periculo offerat. Neque denique verum est, sinistrum semper proferri. Lucagus quidem vulneratur X, 587:

Proiecto dum pede laevo
Aptat se pugnae.

sed Vegetius I, 20. haec docet: „Sciendum praeterea, quum missilibus agitur, sinistros pedes in ante milites habere debere: ita enim vibrandis spiculis vehementior ictus est; sed quum ad pila, ut appellant, venitur et manu ad manum gladiis pugnatur, tunc dextros pedes in ante milites habere debent.“ Quum vero verisimile sit, pedem munitum proferri, Praenestinorum, qui missilibus pugnant, apud Vergilium dextrum esse vides, regulam itaque illam non quadrare. Quare nescio an statuendum sit, quum omnis illorum habitus sit rusticior, rarior, in hoc quoque genere iis magici ritus aliquid tribui.

§. 34.
De pellibus.

A culto illo politoque aevi Augustei habitu discrepant omnes Aeneidis loci, quibus heroes non tersis ac fulgentibus armis, sed hirsutis ferarum pellibus circumdatos poeta praedicat. Sed memoria quaeso teneto, ab ipso antiquitatem quandam rusticam virtutemque rudem aliquam infractam adfectari. Quo pacto eum in Romanorum animis sensum commovit, quem nostri artifices vel poetae antiquos Germanos inculto ferinoque vestitu tegendo. Insignitur prae omnibus Aeneas pelle leonis pretiosissimo patrem portans II, 721:

Haec fatus latos umeros subiectaque colla
Veste super fulvique insternor pelle leonis.

Quod utrum religionis quandam rationem, ut Anchises penates ferens separetur ab omni Aeneae, qui se bello et sanguine polluerat, contactu (II, 718.), an singularem habeat, quum in pictis Graecorum vasis Aeneae clipeus non raro leonis imagine sit praeditus (Inghirami galleria Omerica Vol. I. Tab. 255.): doctiores ad liquidum perducant. Singularem eam rationem possis ad Herculem referre, ita ut Troius heros quasi alter Hercules efficiatur. Evander VIII, 177:

Praecipuumque toro et villosi pelle leonis
Accipit Aenean, solioque invitat acerno.

ibi vero non virum, sed sacra, quae celebrantur, Herculis spectat. Neque in altero loco VIII, 552. constat, utrum Aeneas tali pelle ornetur, an eius equus. Etenim 551:

Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva;
Ducunt exsortem Aeneae, quem fulva leonis
Pellis obit totum, praefulgens unguibus aureis.

Crediderim equidem, articulum *quem* ad equum esse referendum, non ad *Aeneae* nomen. Ita Chloreus XI, 770:

Spumantemque agitabat ecum, quem pellis aenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Equus Didonis IV, 534. est *ostroque insignis et auro.* Deinde exspectaverimus, Aeneae habitum VIII, 465. potius quam 552. describi.

Herculeam vero semper indolem habet leonis pellis omninoque omne pellium tegumentum rarum quid et a consuetudine patria alienum. Quapropter ille, qui VII, 656. *satus Hercule pulchro* nominatur 666:

Ipse pedes, tegumen torquens inmane leonis,
Terribili inpexum saeta, cum dentibus albis
Indutus capiti, sic regia tecta subibat,
Horridus, Herculeoque umeros innexus amictu.

Deinde non sine subtiliore causa Aeneas V, 351:

Sic fatus tergum Gaetuli inmane leonis
Dat Salio, villis onerosum adque unguibus aureis.

Salii enim (cuius gentis hoc loco quasi auctorem informare vult ipsum Salium, quamvis ea postea appareat) VIII, 255. sacerdotes Herculis ad aram maximam sunt, ibique populeis coronis ornati. Herculeam denique virtutem designat, quod IX, 306:

Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias.

2. Praeter hunc leonis qui alii occurrunt pelles omnes nisi fallor ad venationem venatorumque habitum sunt referendi. Talis Venus venatricis habitu Aeneae obvia I, 323. quaerit, an sororum aliquam viderint:

Succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis.

Ita Camillae, quae Dianae sacrata est, quae XI, 780. *virgo venatrix* appellatur, 576:

Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae,
Tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent.

Ita Evander, cuius maiores VIII, 318. *rami adque asper victu venatus alebat* re divina, sacro Herculis peracto 367. in tectum

Ingentem Aenean duxit, stratisque locavit
Effultum foliis et pelle Libystidis ursae.

sed ipse VIII, 460:

Demissa ab laeva pantherae terga retorquens.

de quibus postea aliquid erit addendum. Acestes V, 37. vocatur:

Horridus in iaculis et pelle Libystidis ursae.

Ita Romulus I, 275. est

Lupae fulvo nutricis tegmine laetus.

Denique XI, 675:

Procul Ornytus armis
Ignotis et equo venator Iapyge fertur,
Cui pellis latos umeros erepta iuvenco
Pugnatori operit, caput ingens oris hiatus
Et malae texere lupi cum dentibus albis.

Quem si tibi proposueris, pelli iuvenci lupique indutum miram sane feri venatoris imaginem animo concipies. Ceterum in lapidibus etiam obvii interdum milites pellibus ornati, v. g. in Bonnensi PINTAIVS. PEDILICI. F. ASTVR. TRANSMONTANVS in libro meo Centralmus. rheinl. Inschriften II, 42. depictus est, statua alia Coloniae eruta, cuius effigiem in annalibus societatis Rhenanae antiquitatis amicorum Vol. IIII. communicabo. Attamen monumentum illud IN MEMORIAM. DRVSI. GERMANICI. apud Fuchsium Histor. Magont. Vol. I. p. 70. delineatum genuinum non esse arbitror. In columna Traiana signiferi omnes pellibus sunt capite induti. Memorandus etiam Simulus ille, qui Moret. 21:

Lumina fida locat, geminos tum veste lacertos
Liberat, et, cinctus villosae tegmine caprae . . . . .

§. 35.

De binis hastilibus, pilis, missilibus, spiculis ac gaesis deque septenis.

Quum in Graecorum vasis pictis totiens conspiciantur heroes binis ἀκοντίοις armati, suspicari quis possit, poetam Romanum, quotiens binis hastilibus vel spiculis militem armaverit, Graecum morem respexisse, praesertim si apud eorum quoque poetas bellatores αἰχμαῖσι διδύμαισιν venisse audias. Verum cautione opus est. Illud profecto meminerimus patria semper instituta maiorem in poetae animum vim exercere, quam eas, quas lectione sola ortas quasi quasdam imagines nebulosas e poesi externa hauriat. Ergone ad Graecos referamus I, 312:

[Aeneas] *Ipse uno graditur comitatus Achate*
Bina manu lato crispans hastilia ferro.

(Cf. Varro apud Lydum de magistr. P. R. I, 12.) XII, 164:

Bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.

XII, 488:

Huic Messapus, uti laeva duo forte gerebat
Lenta, levis cursu, praefixa hastilia ferro.

(cf. XI, 650.) an ad Romanos potius? Id enim iam attentum reddat lectorem oportet, quod V, 557. in ludo Troiae, quem Vergilius sine dubio ad eum modum quam verissime expressit, ad quem Augusto hortante Romae publice habitus est, pueri

Cornea bina ferunt praefixa hastilia ferro.

(ubi Baebius Macer testo Servio dixit, ab Augusto pueris, qui luserant Troiam, donatas esse galeas et bina hastilia.) Ut verbo dicam, quod iam antea quidam recte senserunt, non numerus solus, sed res ac forma rei Romanum redolet. Poetae ob oculos versata sunt bina illa pila, quae hastatis dari solebant. Haec enim revera lato ferro sunt praedita et praefixa. Audias Polybium VI, 23, 8: *Πρὸς δὲ τούτοις ὑσσοὶ δύο — — τῶν δ' ὑσσῶν εἰσὶν οἱ μὲν παχεῖς, οἱ δὲ λεπτοί. τῶν δὲ στερεωτέρων οἱ μὲν στρογγύλοι παλαιστιαίαν ἔχουσι τὴν διάμετρον· οἱ δὲ τετράγωνοι τὴν πλευράν· οἵ γε μὴν λεπτοὶ σιβυνίοις ἐοίκασι συμμέτροις, οὓς φοροῦσι μετὰ τῶν προειρημένων. ἁπάντων δὲ τούτων τοῦ ξύλου τὸ μῆκός ἐστιν ὡς τρεῖς πήχεις. προσήρμοσται δ' ἑκάστοις βέλος σιδηροῦν ἀγκιστρωτὸν* (hamatum), *ἴσον ἔχον τὸ μῆκος τοῖς ξύλοις.* Veget. I, 20: „Missilia autem, quibus utebatur pedestris exercitus, pila vocabantur, ferro subtili trigono praefixa, unciarum novem sive pedali, quod in scutum fixum non posset abscindi, et loricam scienter ac fortiter directum facile perrumpit; cuius generis apud nos et iam rara sunt tela." II, 15: „Item [habebant] bina missilia, unum maius, ferro triangulo, unciarum novem, hastili pedum quinque semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur, — — aliud minus, ferro triangulo unciarum quinque, hastili trium pedum semis, quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur." Lyd. magistr. P. R. I, 12: *Στολὴ δὲ τότε παντὶ τῷ Ῥωμαϊκῷ στρατεύματι μία, περικεφαλαία χαλκῆ καὶ θώραξ κρικωτὸς καὶ ξίφος πλατὺ κολοβόν, ἠωρημένον ἐπὶ τοῦ εὐωνύμου μηροῦ, καὶ ἀκόντια ἐπὶ τῆς δεξιᾶς δύο, γλωχῖνας πλατείας ἔχοντα κ. τ. λ.* Ne vero dubites, quin haec revera a Vergilio adoptata sint, XII, 121:

Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis.

ubi pilata agmina i. e. pilis armata nominantur, licet uni tantum genti Aventino duce hoc armorum genus proprio vocabulo adsignaverit VII, 664:

Pila manu saevosque gerunt in bella dolones.

Neque vero adfirmaverim Rutulos IX, 519., qui Teucros *pellere vallo missilibus certant*, X, 718., qui

Missilibus longe et vasto clamore lacessunt.

X, 801., qui

Telaque coniciunt, proturbantque eminus hostem
Missilibus.

pilis semper usos esse. In tali verbo non opus est, ut poeta rem distincte conformaverit. Diferre etiam arbitror spicula, levioraque fuisse, quam pila sive hastilia. Etenim Polyb. VI, 23, 15: *Πλὴν ἀντὶ τῶν ὑσσῶν οἱ Τριάριοι δόρατα φοροῦσιν.* Sed et ea bina sunt V, 306:

Gnosia bina dabo levato lucida ferro
Spicula caelatamque argento ferre bipinnem.

Legionis agrestis VII, 687:

Pars spicula gestat
Bina manu.

Saepius tamen sagittae ita nominantur, ut ipsa *Gnosia spicula* Cir. 298.

Denique Galli in Aeneae clipeo ad Capitolium praesentes VIII, 661:

Duo quisque Alpina coruscant
Gaesa manu.

Servius explicat gaesa hastas viriles. Paullus ex Festo grave iaculum. Qualiscunque horum gaesorum fuerit forma, notato bina semper nominari, ut a Varrone vita P. R. III. (Non. s. v. gaesa) fr. p. 246: „Qui gladiis cincti sine scuto cum binis gaesis essent.“ Liv. VIII, 8: „Leves autem [milites], qui hastam tantum gaesaque gererent, vocabantur.“ IX, 36: „Iere pastorali habitu, agrestibus telis, falcibus gaesisque binis armati.“ XXVIII, 45: „Arretini [polliciti] triginta milia scutorum, galeas totidem, pila, gaesa, hastas longas....“

Ceterum de binario numero praeter locos iam allatos animadvertas, Claudio a Valeriano (Trebell. Poll. Claud. 14.) donari „lanceas Herculeanas duas, aclydes duas, falces duas.“ Sueton. Caes. 84: „Repente duo quidam gladiis succincti ac bina iacula gestantes ardentibus cereis succenderunt.“ Una tamen X, 329. obvia fratrum, cohors, Phorci

Progenies, septem numero, septenaque tela
Coniciunt.

Quid? Unusquisque septem iaculis utitur? Res ex instituto populi Romani anno V. C. DXLI. prodire possit, de quo Livius XXVI, 4. narrat: »Ex omnibus legionibus electi sunt iuvenes, maxime vigore ac levitate corporum veloces: eis parmae breviores, quam equestres, et septena iacula quaternos longa pedes data, praefixo ferro, quale hastis velitaribus inest.“ Eandem rem narrat Frontin. Strateg. IV, 7, 29. Verum *septena* etiam de viris septem unum telum coniicientibus dici possunt.

Hic denique addo IX, 665., ubi de muris:

Intendunt acris arcus ammentaque torquent.

Servius: „pro tela amentis torquent; nam amentum est lorum, quo media hasta religatur et iacitur.“

§. 36.

De ensi, mucrone, gladio, dolone veruque.

Ensem Romanum describit Polybius VI, 23: Ἅμα δὲ τῷ θυρεῷ μάχαιρα· ταύτην δὲ περὶ τὸν δεξιὸν φέρει μηρόν, καλοῦσι δ' αὐτὴν Ἰβηρικήν. ἔχει δ' αὕτη κέντημα διάφορον, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν βίαιον, διὰ τὸ τὸν ὀβελίσκον αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι. Livius VII, 10. de T. Manlio: „Pedestre scutum capit, Hispano cingitur gladio, adpropiorem habili pugnam.“ XXII, 46: „Gallis Hispanisque scuta eiusdem formae fere erant, dispares et dissimiles gladii. Gallis praelongi ac sine mucronibus, Hispano punctim magis, quam caesim, assueto petere hostem, brevitate habiles et cum mucronibus.“ Non hunc quidem Hispanum apud Maronem offendimus gladium, sed poetica ratione exornatum, quem modo ensem, modo mucronem, modo gladium nullo discrimine intercedente nominat. Ita Iulus Euryalo donans IX, 303:

Umero simul exuit ensem,
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius adque habilem vagina aptarat eburna

Non sine causa Gnosium reddit artificem, quippe quum Cretenses in armis fabricandis videantur fuisse laudatissimi. Cf. V, 306:

Gnosia bina dabo levato lucida ferro
Spicula.

Maior tamen gloria Argis erat. Ὅπλα δ' ἀπ' Ἄργεος. At tu ne II, 393. *Argivom ensem* huc referas, caveto. Etenim Coroebus ibi revera Androgei Graeci arma induit. Neque constat, talem gladii praestantiam revera spectari VIII, 459. Ibi Evander Arcas:

Tum lateri adque umeris *Tegaeum subligat ensem.*
Servius: „Arcadicum gladium.“ Memoratu vero digni, qui Oscis aliisque fortasse Italis VII, 732. tribuuntur

(Laevas cetra tegit) Falcati cominus enses.

ubi Servius: „Falcatus autem ensis est harpe, qua usus est Perseus.“ Quod Silius imitatus est de Cinyphiis Macis, Africae populo Hannibali addicto, III, 278:

Versicolor contra cetra, et falcatus ab arte
Ensis Adyrmachidis, ac laevo tegmina crure.

Statius Achill. II, 419. falcem Getis propriam tribuit. Equidem non memini tales apud rerum gestarum scriptorem revera inveniri, nisi Curtium VIII, 14. arripias, qui de Agrianis et Thracibus narrat: „Copidas vocant gladios leviter curvatos, falcibus similes, quis appetebant belluarum manus.“ aut e Liv. IX, 36. falcibus armatos. Ceteri fere loci ad falces murales pertinent. Vergilio, si non ex annalium quodam scriptore falcatum ensum arripuit, Saturnus falcifer vel gladiatoria etiam ars huius armaturae ansam praebere potuit.

Ceterum ensem apud Vergilium aere confectum haberi, sat probant exempla v. g. VII, 743; *auratum* vero repperis IX, 304. Alius est Aeneae ornatus IV, 261:

Adque illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat.

Servius: „Pro vagina posuit.“ Eadem ratione Aeneas Mezenti tropaeum statuens XI, 11:

Ensem collo suspendit eburnum.

Ita IX, 305. *vagina eburna* memoratur. Restat dolo. Comites regis Aventini VII, 664:

Pila manu saevosque gerunt in bella dolones,
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.

Mirum sane quattuor armorum genera ab uno eodemque populo tractari. Pilis enim primo loco, deinde dolone utuntur. Servius: „Dolo est aut flagellum, intra cuius virgam latet pugio, aut secundum Varronem ingens contus cum ferro brevissimo (?). Dolones autem a fallendo dicti sunt, quod decipiant ferro, quum speciem praeferant ligni.“ Isidor. XVIII, 9, 4: „Dolones sunt vaginae ligneae, inter quas latet pugio sub baculi specie. Dolones autem a dolo dicti sunt, quod fallant et decipiant ferro, quum speciem praeferant ligni.“ Tertio *tereti pugnant mucrone.* Mucro teres non aliter potest cogitatione conformari, quam pugio rotundus in fine acutus, ita ut facile alicui in mentem veniat, eundem esse ac dolonem. Quarto *veru Sabello.* Sine dubio hoc loco nequaquam

gladius vel pugio cogitandus, ita ut ἓν διὰ δυοῖν sit statuendum — veru enim a mucrone semper distat — sed hasta Samnitium est intelligenda. Cf. Paullus ex Festo: „Samnites ab hastis appellati sunt, quas Graeci σαύνια appellant; has enim ferri assueti erant.“ (Poeta Georg. II, 168. *Volscos verutos* memorat.) Quum vero eodem teste veruta pila dicantur, quod veluti verua habent praefixa, coniicere poteris veru Sabellum pilum esse, ita ut alter versus eadem arma exhibeat, quae prior, atque integra sententia aliis verbis iteretur. Servius memorat: „Et multi volunt, per teretes mucrones dolones dici, per veru Sabellum pila significari.“ Attamen tale ἓν διὰ δυοῖν Vergilianum ac fere Romanum esse vix credo. Nil igitur restat, nisi ut statuamus, revera quattuor armorum genera a poeta hisce populis tribui, pilum, quod mittitur, deinde dolonem minorem, mucronem maiorem, hastam denique Samniticam. In monumentis milites Romani exercitus saepius vides duobus mucronibus magnitudine diversis vel ensi ac mucrone armatos. Ita in duobus lapidibus musei Bonnensis antiquarii Rhenani. Vide picturam in Centralmus rheinl. Inschriften II, 42. et descriptionem 41., Saepissime vero vides in columna Traiana.

§. 37.

De pharetra, sagittis arcuque.

Minus honorati apud Homerum Locri apparent, qui sagittis eminus pugnant. Mansit vero apud plurimos antiquitatis populos **pharetrae** honos et usus, ita ut si quando ipsi arcu non erant insignes, barbarorum sagittarios arcesserent. Praesertim fabulosa illa Amazonum gens hac arte erat celebrata. Inde Aeneas proponit certaminis praemium victori alteri V, 311:

Amazoniam pharetram plenamque sagittis
Threiciis, lato quam circumplectitur auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemma.

Troiani mirantur Volsca de gente Camillam VII, 816., quae quasi Amazonum Italarum dux et regina est:

Lyciam ut gerat ipsa pharetram.

ubi revera populi orientalis, non Itali a poeta arma sunt indicata. Arcas enim Evander de Anchise narrat VIII, 166:

Ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas
Discedens chlamydemque auro dedit intertextam.

De Indis cf. Georg. II, 125:

Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.

XI, 648:

At medias inter caedes exsultat Amazon
Unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla — —
Aureus ex umero sonat arcus et arma Dianae.
Illa etiam si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.

Omnino igitur Parthorum more se gerit. Poeta Georg. III, 345. *Cressam pharetram* insignium sine dubio Cretensium sagittariorum ratione habita, Spartanarumque Tyriarumque virginum pharetram Aen. I, 318. 336. indicat. Cetera pharetrae epitheta, ut *aurata* XI, 859., *levis* V, 558., *fulgens* Cir. 159., *sonans* IX, 660. mitto.

2. Sagittae quoque ab iis gentibus nominantur, quae earum fabricandarum ac mittendarum artem maxime callebant. Inde V, 311, *sagittae Threiciae*, VIII, 166. *Lyciae sagittae.* Huc pertinet Ecl. X, 59:

Libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula.

Cydonia ut Gnosia, Gortynia sunt Cretensia. Spicula vero sagittae, ut saepissime apud nostrum. Cf. Cir. 298:

Gnosia heu Partho contendens spicula cornu.

VII, 497. IX, 606. Chloreus XI, 773:

Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu.

A Nonio coryti explicantur leve missile in modum sagittarum. Cf. X, 168:

Quique urbem liquere Cosas, quis tela sagittae
Corytique leves umeris et letifer arcus.

Veneno etiam a quibusdam populis sagittae inficiebantur, XII, 856:

Non secus ac nervo per nubem inpulsa sagitta,
Armatam saevi Parthus quam felle veneni,
Parthus sive Cydon, telum inmedicabile torsit.

Ita etiam Ismarus e Lydia scit X, 140:

Calamos armare veneno.

et ferarum ille vastator Amycus IX, 773:

Quo non felicior alter
Unguere tela manu ferrumque armare veneno.

3. Arcus a materia et cornu vocatur, ut modo e *Partho cornu* ac *Lycio* vidimus. Eius cetera epitheta ut *fatifer* IX, 631., *letifer* X, 169., *aureus* X, 774., XI, 652., *curvus* VII, 497. ad poesin tantum pertinent. Unum tamen locum ad morem arcum tendendi in-

lustrandum accomodatissimum non possum, quin addam. Opis XI, 858:

Dixit; et aurata volucrem Threissa sagittam
Deprompsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coirent
Inter se capita, et manibus iam tangeret aequis
Laeva aciem ferri, dextra nervoque papillam.

Ex qua quasi quadam pictura praeter cornua non solum capita, sed nervum ut partes arcus animadvertas velim. Huuc nervum (V, 502. X, 131. XII, 856. Georg. IV, 313.) equinum interdum fuisse, videmus IX, 622:

Non tulit Ascanius; nervoque obversus equino
Intendit telum.

Quae omnia qui aliis testimoniis velit augere vereor, ne γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. Ceterum Parthorum arma conspiciuntur inter alia in numo aureo Augusti Morelli. Tab. XI, 22. inscripto: DE PARTHIS.

§. 38.

De bipinni et securi.

Secures quoque inter arma a Vergilio esse habitas iam vides VII, 626., ubi bello indicto:

Pars levis clipeos et spicula lucida tergent
Arvina pingui, subiguntque in cote secures.

et VII, 184., ubi inter cetera spolia in regia Pici adfixa

Captivi pendent currus curvaeque secures.

Pauci tam insigni telo ab eo armata sunt, dux Camilla XI, 650:

Et nunc lenta manu spargens hastilia denset,
Nunc validam dextrae rapit indefessa bipinnem.

Eadem congeminat XI, 696:

Tum validam perque arma viro perque ossa securim.

eodemque eius comites XI, 655:

At circum lectae comites Larinaque virgo,
Tullaque et aeratam quatiens Tarpeia securim.

Denique Alsus pastor Podalirium occidens XII, 306:

Ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reducta
Disicit.

Secures saepius conspiciuntur in Romanorum tropaeis et in picturis Herculanensibus et Pompeianis et operibus caelatis plurimis. Bipinni Amazonem armatam habes Millin. mythol. Gall. Tab. CLXI. nr. 593., De Clarac musée des sculptures antiques et modernes. Planches II, Tab. CXVII, 231. al.

§. 39.

De phalarica.

Turnus IX, 703. Meropem, Erymanta, Aphidnum sternit,
Tum Bitian ardentem oculis animisque frementem
Non iaculo; neque enim iaculo vitam ille dedisset,
Sed magnum stridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga
Nec duplici squama lorica fidelis et auro
Sustinuit.

Servius: »De hoc telo legitur, quia est ingens torno factum, habens ferrum cubitale et rotunditatem de plumbo in modum sphaerae in ipsa summitate. Dicitur etiam ignem habere adfixum — — Sane phalaricam Lucanus dixit nervis mitti tortilibus e quadam machina, ut (VI, 198.):

Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
Obruat.«

E Servio sua hausit, ut solet, Isidorus XVIII, 7, 8. Ignem huic instrumento tribuit etiam Livius XXI, 8: »Phalarica erat Saguntinis, missile telum hastili abiegno, et cetera tereti, praeterquam ad extremum, unde ferrum exstabat. Id sicut in pilo quadratum stuppa circumligabant, liniebantque pice. Ferrum autem tres longum habet pedes, ut cum armis transfigere corpus posset. Sed id maxime, etiamsi haesisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pavorem faciebat, quod quum medium accensum mitteretur, conceptumque ipso motu multo maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad insequentes ictus praebabat.« Cf. Silius I, 350., et Vegetius IV, 18: »Phalarica autem ad modum hastae valido praefigitur ferro; inter tubum et hastile sulphure, resina, bitumine stupisque convolvitur infuso oleo, quod incendiarium vocant, quae balistae impetu destinata perrupto munimine ardens figitur ligno, turritamque machinam frequenter incendit.“ Hoc igitur loco ad defensionem obsessorum pertinet.

§. 40.

De cateia et aclyde.

Inter Troianorum in pugna illa de Italiae solo acquirendo hostos nominantur incolae etiam Rufrarum, Batuli, Celemnae atque Abellae VII, 741:

Teutonico ritu soliti torquere cateias.

Servius: „Tela Gallica. Unde et Teutonicum ritum dixit [Cateiam

quidam asserunt teli genus esse tale, quale aclydes sunt. ex materia quam maxime lenta, ... cubitus longitudine, tota fere clavis ferreis illigata, quam in hostem iaculantes lineis, quibus eam adnexuerant, reciprocam faciebant. Cateiae autem lingua Theofisca hastae dicuntur.]« Ita in edit. Lion. Pro cubitus legendum videtur cubito S i. e. semis nullaque statuenda lacuna, ut ex Isidor. XVIII, 7, 7. patet: »Clava, qualis fuit Herculis dicta, quod clavis sit ferreis invicem religata, et est cubito semis facta in longitudine. Haec et cateia, quam Dorcatius caiam dicit. Est enim genus Gallici teli ex materia quam maxime lenta, quae iacta quidem non longe propter gravitatem evolat, sed, quo pervenit, vi nimia perfringit. Quod si ab artifice mittatur, rursum venit ad eum, qui misit. Huius meminit Vergilius dicens: Teut. r. s. t. c. Unde et eos Hispani et Galli teutonas vocant.« Eundem tamen Isidorum, si oculorum aciem intenderis, videbis Servium omnino mutasse. Servius enim ait, cateiam lineis i. e. loris vel catenis esse adnexam, ita emitti, atque a mittente reciprocam reddi i. e. retro trahi, ita ut eodem telo saepius eminus misso hostes acriter possint vulnerari. Isidorus non intellexisse videtur lineas illas, putavitque e manu omnino mitti hoc telum artificioso quodam iactu, ita ut suo ipsius pondere suaque forma miro quodam momento rursus per aerem revertens revolvatur. Tale hodie Australorum Boomerang vel Kilee describunt. Rectius Papias: „Cateia lingua Persarum est sagitta barbulata sive hasta, qua utebatur Hercules; erat enim cum ligulis catenarum, et, quando eam proiiciebat, iterum cum catenula retrahebat.“ Quod Herculem ea usum esse contendit, ne mireris in tali auctore; Teutonicum enim ritum et Vergilius adseverat, ac Gallum videmus, ni fallimur, eodem telo armatum in illa de Valerio Corvino apud Gellium IX, 11. narratione: „Dux interea Gallorum, vasta et ardua proceritate armisque auro praefulgentibus grandia ingrediens et manu telum reciprocans incedebat.“ Quid enim aliud reciprocare, quam Servii illud reciprocum facere? In illo dissentiunt medii aevi scriptores, quod alii ut Isidorus, Aelfricus (gloss. saxon., „clava vel cateia vel teutona“), Nicolaus Specialis (de reb. Sicul. VII, 5: „Hic vero clavam rotans, quam galli cateyam vocant“) clavam, alii ut Papias, poeta Abbo (carm. de bello Paris. glossar. dardum explicat) atque ipse Donatus ad Vergilium („erantque hastae angusto et brevi ferro.“) hastam fuisse contendunt.

Oscis aliisque populis Italicis Vergilius simile, ut videtur, telum tribuit VII, 730:

Teretes sunt aclydes illis
Tela; sed haec lento mos est aptare flagello.

Teretes i. e. rotundas poeta vocat, ita ut globorum vel clavarum in formam eas constructas fuisse suspicandum sit, aptatasque flagello i. e. loro vel amento, ita ut emittantur vulnereque impacto rursus retrahantur. Servius: „Aclydes sunt tela quaedam antiqua adeo, ut nec usquam commemorentur in bello; legitur tamen quod sint clavae cubito et semis factae, eminentibus hinc inde acuminibus, quae ita in hostem iaciuntur religatae loco vel lino, ut peractis vulneribus possint ad dominum redire.“ Quae praeterea addit: „Putatur tamen esse teli genus, quod per flagellum in immensum iaci potest.“ vagam quandam et inanem grammatici alicuius opinionem produnt. Longitudo etiam cum illa, quam Isidorus de cateia commemorat, consentit, nisi fortasse duo haec tela ab ipso sint confusa. Utrumque loro vel amento, ut Gallorum tragula, ab omnibus deligatum dicitur. Statuendum fortasse, cateiam hastae, aclydem clavae similiorem fuisse. Differentiam enim ipse Vergilius inesse voluit.

§. 41.

De funda glandibusque plumbeis.

Romano exercitui ascriptos quosdam fuisse scimus ferentarios vel accensos, qui fundis lapidibusque proeliarentur. Cf. Paullus ex Festo s. v. velati, ascripticii, Varron. fragm. p. 245. ed. Bip. Ne igitur fundarum usum ex antiquitate illa Homerica deducas. Praesto enim erat Romanorum exemplum. Hieme Italo agricolae poeta Georg I, 307. ait, tempus esse,

Tum figere dammas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundae.

Camilla illa Volscorum de gente XI, 579. puella iam

Et fundam tereti circum caput egit habena
Strymoniamque gruem, aut album deiecit olorem.

Quod circum caput agitur, id artis esse memento. Vegetius enim III, 14: »Funditores sunt, qui fundis ex lino vel setis factis — has enim dicunt esse meliores — contorto circa caput brachio dirigunt saxa.“ Idem tamen III, 23., quotiens torquenda sit funda, docet III, 23: »Semper adsuescendum est, ut semel tantum funda circa caput rotetur, quum ex ea emittitur saxum.« Apud Vergilium contra IX, 586:

Stridentem fundam positis Mezentius hastis
Ipse ter adducto circum caput egit habena,
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit ac multa porrectum extendit harena.

Quem numerum ut explices, non arripiendus est Balearium mos, quorum teste Floro III, 8: »tribus quisque fundis proeliatur,“ sed Vergilii spectanda consuetudo, qui, quae vehementi ictu fieri vel ferri significaturus est, terno impetu perfici ait. Audi I, 116:

Ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum et rapidus vorat aequore vertex.

Achilles I, 483:

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.

apud Homerum semel tantum. Ad Scyllam et Charybdim III, 421:

Imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus.

Dido moritura IV, 690:

Ter sese attollens cubitoque adnixa levavit.

Hercules VIII, 230:

Ter totum ferridus ira
Lustrat Aventini montem, ter saxea temptat
Limina nequiquam, ter fessus valle resedit.

Turnus X, 685:

Ter conatus utramque viam, ter maxuma Iuno
Continuit.

Differunt igitur in illo artis momento Vegetius Vergiliusque, quod alter una tantum rotatione peracta, triplici alter fundae ictum vehementiorem habuit. Verum non lapides solum, immo **glandes plumbeae** tali instrumento in hostem funduntur. Quid? Poeta nostram rem militarem, glandes igniferas novit? Talis fere species sane VII, 687. Anagniuorum, aliorum oboritur, quibus

Nec clipei currusve sonant; pars maxuma glandes
Liventis plumbi spargit.

Mezentii IX, 588., qui

Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit.

Sed remoto ioco quaeramus seria. Mira sane res, quae a scriptoribus Romanis narratur, plumbum emissum ita effervescere currendo, ut liquefiat. Lucretius iam ventum longo meatu igneum evadere ait VI, 305:

Non alia longe ratione, ac **plumbea** saepe
Fervida fit **glans** in cursu, quum multa rigoris
Corpora dimittens ignem concepit in auris.

Plumbeas glandes significat in bello usitatas Hist. B. Afr. 20: »Officinas ferrarias instruere, sagittas telaque, uti fierent complura, curare, glandes fundere, sudes comparare cet.“ Alia est res apud Caes. B. G, V, 43., ubi Nervii, qui multa superiorum annorum consuetudine a Romanis cognoverant, »ferventes fusili ex argilla glandes fundis et fervefacta iacula in casas, quae more Gallico stramentis erant tectae, iacere coeperunt.“ Secundum Ovid. Met. II, 727. Iuppiter aethere pendens

Non secus exarsit, quam quum Balearica plumbum
Funda iacit; volat illud, et incandescit eundo,
Et quos non habuit, sub nubibus invenit ignes.

Cf. VII, 710. Qui error inde ortus videtur, quod plumbum magna virium contentione missum facile attenuatur. Glandium denique usum Livius quoque novit XXXVIII, 21: „[Galli] sagittis, glande, iaculis incaute ab omni parte configebantur.“ Apud Tacitum Hist. V, 17: „Saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur.“ Apud Orellium 4932. inscriptionem habes glandis missilis plumbeae: ROMA. FERI., ex qua, si dubitaveris, confirmatur, glandes quoque in Romanorum usu fuisse, quamvis a Vegetio non commemorentur.

§. 42.

De phaleris.

In elaboratissimo illo de Niso atque Euryalo ἐπεισοδίῳ a posteriore videmus Rhamnetem regem IX, 325. misere occisum; a spoliis tamen detrahendis victor abstinet; relinquit IX, 359:

Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis
Cingula.

Dubitatum est, quaenam sint phalerae, an equitis esse possint, atque e Polybio ἱππεῖς χρυσοφάλαροι in pompa ab Antiocho ducta, e Silio XV, 255: »Phaleris hic pectora fulget« allati sunt. Poterat tamen e Polybii loco de militia Romana inlustrissimo advocari VI, 39: *Μετὰ δὲ ταῦτα τῷ μὲν τρώσαντι πολέμιον γαῖσον δωρεῖται, τῷ δὲ καταβαλόντι καὶ σκυλεύσαντι τῷ μὲν πεζῷ φιάλην, τῷ δ' ἱππεῖ φάλαρα, ἐξ ἀρχῆς δὲ γαῖσον μόνον.* (cf. Salust. Iugurth. 85.) e Liv. XXXIX, 31: »Pro concione postero die laudati donatique a C. Calpurnio equites phaleris.« Verum pediti etiam ipsius Augusti aetate phaleras esse concessas e lapide videmus nostri musei Bonnensis antiquitatum Rhenanarum depicto in libro meo, qui inscribitur Centralmuseum rheinländischer Inschrif-

ten. II. Bonnae. 1840. p. 1., quo Marcum Caelium centurionem legionis decimae octavae pectore vides decoratum Gorgonis capite et quattuor phaleris. Sex phaleris ornatus est Q. SERTORIVS. L. F. POB. FESTVS. CENTVR. LEG. XI. CLAVDIAE. PIAE. FIDELIS. in Mus. Veron. CXXI, 4. Quae phalerae in utroque monumento formam habent rotundorum numorum maiorum, in quibus vel caput hominis corona ornatum, vel leonis conspicitur, ad merita fortitudinemque testandam, erantque sine dubio aere vel argento confecta. Cf. Lehn. Vol. II. Tab. 9. nr. 40. Tab. 15. nr. 58. Immo Augustus teste Sueton. Aug. 25: »Dona militaria aliquanto facilius, phaleras et torques, quidquid auro argentoque constaret, quam vallares ac murales, quae honore praecellerent, dabat.« Narrat Gellius II, 11: [L. Sincius Dentatus] »dicitur — — coronis esse donatus aureis octo, obsidionali una, muralibus tribus, civicis XIV, torquibus tribus et LXXX, armillis plus centum LXX, hastis duodeviginti, phaleris item donatus est quinquies viciesque.« Frequentissima vero in inscriptionibus phalerarum mentio v. g. Mus. Veron. CCXVIII, 2: L. GAVIO. L. F. STEL. SILVANO. PRIMIPILARI. LEG. VIII. AVG. TRIB. COH. II. VIGILVM. TRIB. COH. XIII. VRBAN. TRIB. COH. XII. PRAETOR. DONIS. DONATO. A. DIVO. CLAVDIO. BELLO. BRITANNICO. TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS. CORONA. AVREA. PATRONO. COLON. D. D. Murator. DCCXCIX. 6: M. BLOSSIO. Q. F. ANI. PVDENTI. >. LEG. V. MACEDONIC. DONIS. MILITARIBVS. DONATO. AB. IMP. VESPASIANO. AVG. TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS. CORONA. AVREA. cet. Fabrett. CCCXCIX, 291: L. ACONIO. L. F. STATVRAE. >. LEG. XI. C. P. F. LEG. IIII. F. F. LEG. V. MACED. LEG. VII. DONIS. DONATO. AB. IMP. TRAIANO. AVG. GERMANICO. OB. BELLVM. DACIC. TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS. CORONA. VALLARI. ET. A. PRIORIB. PRINCIPIBVS. EISDEM. DONIS. DONATO. OB. BELLVM. GERMAN. cet. Orell. 3488: Q. ALBIO. Q. F. HOR. FELICI. >. LEG. XXX. V. V. CORNICVLARIO. PR. PR. DONIS. DONATO. AB. DIVO. TRAIANO. AVG. TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS. BELLO. PARTHICO. cet. Apud Livium XLIV, 26. videmus etiam Persea »equos, phaleras et sagula donûm principibus ferre.«

Haec quae in lorica figebantur, virtutis et honoris documenta sunt, quae Rutuli *Rhamnete reperto exsangui* adgnoscunt IX, 458:

Multo phaleras sudore receptas.

Attamen equi etiam hoc decore ornabantur. Inde illi, qui victor in cursus certamine sit evasurus, Aeneas V, 310. promittit:

Primus ecum p h a l e r i s insignem victor habeto.

et XI, 89. memoratur *bellator ecus, positis i n s i g n i b u s.* Rem inlustrat Liv. XXII, 52: »Praeda ingens parta est, et praeter equos, viros, et si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum erat. . . .« XLIV, 14: »Gratiae ab senatu actae muneraque missa torquis aureus duo pondo et paterae aureae quattuor pondo, e q u u s p h a l e r a t u s armaque equestria.« Sueton. Calig. 19: »Primo die p h a l e r a t o e q u o, insignisque quernea corona.« E monumentis vide lapidem Moguntiae adservatum apud Lehn. Tab. 7. nr. 26. 28.

§. 43.

De verbis militaribus.

Exstant apud unumquemque populum dicta quaedam bellica, quae ritum quidem non semper probant, insignia vero sunt atque ad hortandum animumque inflammandum commoda. Apud Romanos praesto est magna sane talium vocabulorum atque hortamentorum copia, quae a primis belli motibus ad extremam usque pugnam solita erant. Servius ad Aen. II, 148. de X, 228: *Vigilasne deum gens?* dixit: »Verba sunt, quibus pontifex maximus utitur in pulvinaribus.« Quod quidem si non est, cur reiiciamus, tamen non probe videmus, quid pulvinaria ac pontifex maximus faciant ad Aeneae illo loco habitum. Res enim ita se habet. Nymphae, quae e navibus mutatis prodierant, regem Aeneam agnoscunt et circumdant. Doctissima earum Cymodoca ipsum alloquitur 228:

Vigilasne, deum gens?
Aenea, vigila, et velis inmitte rudentis.

Atque hoc quoque loco Servius monet: »Verba sunt sacrorum; nam virgines Vestae certa die ibant ad regem sacrorum et dicebant: V i g i l a s n e r e x! V i g i l a.« Magis vero mihi placet, ut illum adoptemus atque insertum esse morem putemus, quem idem Servius VIII, 3. communicat: »Is qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus primo ancilia commovebat, post hastam simulacri ipsius, dicens: M a r s v i g i l a.« Vel si Vestalium verba oppido consentientia cum Cymodocae adhortatione arbitremur, ex utraque appellatione subtili doctrina Vergilii versum conflatum esse fateamur. Pugna ingruente a d a r m a conclamabatur. Ex innumeris

Livii locis unum proferam X, 35: »Consul arma capere milites iubet et sequi se extra vallum.« Aeneas clamat II, 668:

Arma, viri, ferte arma; vocat lux ultima victos.

III, 234:

Sociis tunc, arma capessant
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.

Dido IV, 394:

Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.

Caicus IX, 37:

Ferte citi ferrum, date tela, ascendite muros,
Hostis adest, heia!

XII, 425:

Arma citi properate viro! quid statis? Iapis
Conclamat, primusque animos accendit in hostem.

ubi verbum *conclamat* nescio an ut apud Livium: »Conclamatum ad ad arma.« dictum sit.

His addimus verba quaedam ad pugnandi regulas pertinentia. Qui aliquem gladio, hasta aggreditur, **petere** eum dicitur. Ita Nisus IX, 439: *Volscentem petit.* Thero X, 313: *Aenean petit.* **Toto corpore certari** dicitur de omni virium contentione XI, 313:

Toto certatumst corpore regni.

cui compares XII, 920:

Et corpore toto
Eminus intorquet.

XII, 728:

Et corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem.

Cf. IV, 253. IX, 410. X, 127. De perfodiendo deinde **haurire** dicitur. Aeneas Theroni X, 314:

Latus haurit apertum.

Porro Donatus ad Terent. Andr. I, 1, 56: »Habet enim, inquit, qui percussus est; et proprie de gladiatoribus dicitur, quia prius alii vident, quam ipsi sentiant, se percussos.« Apud nostrum Messapus regem Aulestem, quem telo trabali feriit, compellat XII, 296:

Hoc habet; haec melior magnis data victima divis

Gladiatores denique artem suam deponere ex Horatio notissimum; quod poeta tangit de Entello V, 483:

Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo; hic victor caestus artemque repono.

ubi Servius: „Et arma se dicit deponere et arti renuntiare i. e. catalysin fecit.«

Nimis trita deinde sunt illa: *manum conferre, conserere, committere* IX, 45. 690. 741. XI, 283. XII, 480. 678. XII, 60. Rarius illud, quod de pugna vehementiore dicitur: vir virum legit. Apud Maronem X, 361:

Haeret pede pes densusque viro vir.

X, 734:

Obvius adversoque occurrit, seque viro vir
Contulit.

XI, 632:

Inplicuere inter se acies legitque virum vir.

Ad quae quamvis in mentem veniat Homeri versus Il. XIII, 131:

Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

tamen non ex hoc, sed e Romanis historicis poetisque verba expressa esse certum est v. g. ex Furio Antiate annal. IV. (Macrob. Sat. VI, 3.):

Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.

ex Ennio (Hirt. B. Hisp. 31.):

Pes premitur pede et armis arma teruntur.

Cf. Livius, qui sine dubio antiquiores imitatus est IX, 39: »Cum vir virum legisset.« X, 38: »Eis dictum, ut vir virum legerent.« Cf. Tacit. Hist. I, 28: »Apud frequentem militum concionem imperatoria brevitate adoptari ad se Pisonem, more divi Augusti et exemplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiat.«

Ad II, 148:

Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios,
Noster eris.

Servius adnotat: »Licet hostis. Et sunt, ut habemus in Livio, imperatoris verba transfugam recipientis in fidem: Quisquis es, noster eris.“

Denique sanguinolentis ex acie redeuntibus Seneca epist. 67. narrat dici solitum: Macte virtute esto. Et Iulum pugna victorem decedentem Apollo compellat IX, 641:

Macte nova virtute puer.

Cf. Liv. IV, 14: „Tum dictator: Macte virtute, inquit, C. Servili, esto, liberata republica.“ XXII, 49: „Ad ea consul: Tu quidem, Cn. Corneli, macte virtute esto.“

§. 44.

De castrorum forma.

Castrimetatio apud nostrum ita est descripta, ut, quamvis neque pedum longitudo neque latitudo nobis definiatur, Romanus ta-

men rerum habitus in omnibus sit conspicuus. Quae apud Polybium VI, 27., Vegetium I, 23. alios de eorum constructione narrantur, ad poesin nostram quadrant aptissime. Non enim mente agito locum, quo Afrum omnia secum portantem pingit, Georg. III, 346:

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Iniusto sub fasce viam cum carpit, et hosti
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.

neque eos, quibus Troianos *castra fovere* Aen. IX, 57., *servare* IX, 43., *movere* III, 519. XI, 446. ait: sed quibus certum quoddam signum, fixam aliquam speciem et quasi effigiem delineat. Quod vero Vitruvius summum semper fore ratus, ut electionem opportunorum locorum salubriumque (I, 4. 7. V, 3. 10. VI, 1. 2.) urgeat, id in castris ponendis maximopere est spectandum. Quare Vegetius I, 22: „Castra autem, inquit, praesertim hoste vicino tuto semper facienda sunt loco, ubi et lignorum et pabuli et aquae suppetat copia. Et si diutius commorandum sit, loci salubritas eligetur. Cavendum etiam ne mons sit vicinus altior, qui ab adversariis captus possit officere.“ Quae autem loca tutissima sint et munitissima, Hirtius tradit B. Alex. 28: „Consederat cum copiis rex loco natura munito, quod erat ipse excelsior, planitie ex omnibus partibus subiecta, tribus autem ex lateribus variis genere munitionibus tegebatur. Unum latus erat adiectum flumini Nilo alterum editissimo loco ductum, ut partem castrorum obtineret, tertium palude cingebatur.“ Haec omnia in castra vel oppidum ab Aenea conditum convenire videntur. Ruit enim fluvius ibi in mare. Cf. IX. 467:

Aeneadae duri murorum in parte sinistra
Opposuere aciem, — nam dextera cingitur amni.

In ipso vero fluvio classem posuit Aeneas IX, 69:

Classem, quae lateri castrorum adiuncta latebat,
Aggeribus saeptam circum et fluvialibus undis.

Locus est editior; *in litore* enim (VII, 158) posita sunt; imminente tamen e longinquo silva ac colle, ni fallor; nam VIII, 603:

Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis, celsoque omnis de colle videri
Iam poterat legio, et latis tendebat in arvis.

nisi ita intelligere malis, legionem esse Aeneae sociorumque per planum advenientium, quae a Tarchonte Tyrrhenisque de colle, id est, desuper ex ipsis castris conspiciantur. Quod argutius quam verum videbitur. Tertio haec Aeneae castra pallude videntur fuisse munita. Poeta saltem de Turno huc illuc fugiente XII, 745:

Adque hinc vasta palus, hinc ardua moenia cingunt.

Magis etiam quam loci naturaeque opportunitas ars Romanorum muniendi in hoc castello patet. Aeneas VII, 157:

Ipse humili designat moenia fossa,
Moliturque locum, primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis adque aggere cingit.

Tria hic memorantur ad castra, quae quadrata existimanda sunt, firmanda idonea ac necessaria, fossa scilicet quotiens memorata, v. g. IX, 143:

Fossarumque morae, leti discrimina parva.

IX, 506:

Et fossas inplere parant.

IX, 567:

Invadunt et fossas aggere conplent.

X, 24:

Inundant sanguine fossae.

Cf. 236. XI: 382. 888. Deinde aggerem teneto. Cf. IX, 43:

Castra modo et tutos servarent aggere muros.

IX, 567. 769. X, 23:

Quin intra portas adque ipsis proelia miscent
Aggeribus moerorum.

X, 143:

Adfuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere moerorum sublimem gloria tollit.

XI, 381:

Dum distinet hostem
Agger moerorum.

XI, 398:

Inclusus muris hostilique aggere saeptus.

XII, 446. 564. Idem fere est vallum. Turnus temptat IX, 67:

Quae via clausos
Excutiat Teucros vallo.

IX, 142:

Quibus haec medii fiducia valli.

IX, 146:

Sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum?

IX, 168:

Haec super e vallo prospectant Teucri.

IX, 506. 519. 524. 598. Ab hoc probe distinguendi sunt tertio loco valli, qui et pinnae VII, 159. dicuntur. Cf. X, 120:

At legio Aeneadum vallis obsessa tenetur.

XI, 915:

Considunt castris ante urbem et moenia vallant.

Alia ratione Vergilius Georg. II, 25. memorat:

Quadrifidasque sudes et acuto robore vallos.

ubi Servius animadvertit, et vallos et sudes idem esse. Vegetius vero praecipit fossam I, 24: „Supra quam sudes de lignis fortissimis, quas milites portare consueverunt, praefiguntur.“ Ad quas tamen nequaquam, ut olim rebar, pertinere, quae XI, 473. memorantur *sudes*, postea videbimus. Septenos vallos militem et triginta dierum frumentum ferre Scipio Africanus coegit. *Iniusto sub fasce* carpere viam Vergilius ait. — Quarto loco in castris stativis murus erat aedificandus, qui, quum castellum Aeneae inter castrorum et oppidi imaginem quasi mediam speciem teneat, in Aeneidis libris posterioribus frequens est, singulosque memorari locos non necesse. Illud unum observaverim, non ita alta haec moenia a poeta cogitari, Lycus enim IX, 557. inter hostis

Inter et arma fuga muros tenet altaque certat
Prendere tecta manu sociumque attingere dextras.

ex quo ea duodecim ad summum pedum fuisse possis coniectando augurari. Praeterea turres quoque IX, 46., propugnacula IX, 170. 664., pontes IX, 170. portasque addi, per se manifestum est. Ducis et ductorum aedes vel tentoria ad praetorii Romani rationem in medio castello sunt posita; unde IX, 229:

Stant longis adnixi hastis et scuta tenentes
Castrorum et campi medio.

§. 45.

De vigiliis excubiisque.

Romanorum de vigiliis nocturnis curam amplius descripsit Polybius VI, 35. sq., brevius Vegetius III, 8: „In quattuor partes ad clepsydram sunt divisae vigiliae, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine omnes vigiliae committuntur, et finitis horis a cornicine revocantur. Idoneos tamen tribuni et probatissimos eligunt, qui vigilias circumeant et renuntient, si qua emerserit culpa — — Sciendum tamen est, equites extra vallum nocturnas excubias facere debere.« Apud Vergilium locus insignis est IX, 159 — 175., differentia non levi inter Rutulos Troasque statuta. Illi enim minus cauti mille tantum quadringentos vigiles constituunt, et quattuordecim centuriones, qui omnes per integram noctem somni sint expertes:

Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo et moenia cingere flammis.
Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,
Delecti; ast illos centeni quemque secuntur.

Centuriones eos esse, quos centeni sequuntur, iam Servius vidit. His Tacitus quoque munus vigilias obeundi tribuit Annal. XV, 3: »Addidit gloriae Corbulo comitatem epulasque, et rogitante rege [Tiridate] causas, quotiens novum aliquid adverterat, ut, initia vigiliarum per centurionem nuntiari, —— cuncta in maius attollens admiratione prisci moris adfecit.« Hist. II, 29: »Deflagrante paullatim seditione addit consilium vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubae sono, quo miles ad belli munia cietur.« Mille vero quadringenti dimidiam fere efficiunt legionem. Aliter Troiani 174:

Omnis per murum legio, sortita periclum
Excubat exercetque vices, quod cuique tuendumst.

Omnis i. e. integra legio sortita periclum i. e. ad hoc periculum sorte destinata in excubiis posita est. Quo Romanorum more ne offendaris, suadet Caesar B. Gall. VII, 24: „Instituto Caesaris duae semper legiones pro castris excubabant.“ Deinde notandum est, non integram noctem ab iisdem vigilando teri, sed vices variari sine dubio secunda, tertia, quarta vigilia. Ita postea quoque Euryalus decedens IX, 220:

Vigiles simul excitat. Illi
Succedunt servantque vices.

Locus unicuique adsignatus statio appellatur. IX, 183:

Tum quoque communi portam statione tenebant.

IX, 222:

Statione relicta
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.

Verum IX, 176:

Nisus erat portae custos, acerrimus armis.

Quod portam custodit, id quoque possis ut rem singularem considerare ratione praesertim habita loci de apibus Georg. IV, 165:

Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti,
Inque vicem speculantur aquas et nubila caeli.

Quibus enim portarum cura demandata est, probatissimi sint oportet milites. Apud Polybium vero sunt γροσφομάχοι VI, 35, 5: Ἐπί τε τῶν εἰσόδων ἀνὰ δέκα ποιοῦνται τούτων αὐτῶν τὰς προκοιτείας.

§. 46.

De obsidione eiusque instrumentis.

Duplex apud Vergilium in conspectu ponitur obsidio, una urbis Troiae libro secundo, altera Troiae illius recens in Laurenti littore conditae libro nono. Quarum utraque neque posterioris alicuius poetae Ἰλίου πέρσιν, neque Thebarum expugnationem a poetis tragicis decantatam imitatus esse videtur. Quod enim Macrobius V, 2. ait, Vergilium eversionem Troiae cum Sinone suo et equo ligneo ceterisque omnibus, quae librum secundum faciant, a Pisandro paene ad verbum transscripsisse, id quo iure adfirmetur, ex eodem Macrobio coniicere poteris, qui V, 7. contendit, poetam nostrum de Argonauticorum Apollonii quarto librum Aeneidis suae quartum totum paene formasse atque aestimare in universum e grammatici huius more iniquissimo, qui, quamvis summum esse poetam iudicet, ubique imitationes aliorum odoretur ac rimetur: ita ut, si ipsi fidem habeas, quasi ex innumeris pannis laciniisque consarcinatum carmen existimari oporteat. Abiiciantur talia, quae corpore secando disiecta mortuaque membra nobis ostendant, vitam omnem demant. Ut verbo dicam, Romani quum tot tantaque oppida et castella debellassent, debellata conscripsissent, quum suis poeta oculis bellorum stragem conspexisset, quid opus erat externis illis adiumentis bellicis? Romae aderant omnia obsidionis instrumenta. Pollio, Agrippa, Maecenas, alii omnem apparatum bene noverant. Romana hic sunt omnia.

1. Variis telis silentio praetermissis, quibus obsidendos aggrediebantur, primo opus erat ut oppugnantes sese maioribus adminiculis tegerent, ne lapidibus ceterisque missilibus desuper missis omnis eorum opera inrita redderetur. Quapropter Livio teste XXXIV, 39: „Sublatis — supra capita scutis continuatisque ita inter se, ut non modo ad caecos ictus, sed ne ad inferendum quidem ex propinquo telum loci quidquam esset, testudine facta subibant.“ (Cf. X, 41. XLIV, 9.). E scutis itaque arbitror, eandemque in Aeneidis IX, 505:

Adcelerant acta pariter testudine Volsci,

ubi non machinam ligneam intelligi, sed scutorum spissam et quasi conflatam compositionem e Teucrorum conatu vides IX, 512., qui

Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere, cum tamen omnis
Ferre iuvat subter densa testudine casus.

Non diu vero haec hostium tecta acies resistit, IX, 516:

Inmanem Teucri molem volvontque ruuntque,
Quae stravit Rutulos late, armorumque resolvit
Tegmina.

Quae armorum tegmina omnino testudinem efficiunt. Quaeritur, an II, 441. eadem constet:

Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentis
Cernimus obsessumque acta testudine limen.

Obiter intuenti vocabulum agere ita dictum videtur, ut minus de hominum ordine composito se ad muros movente, sed de instrumento externis adiumentis pulso adhibeatur; atque hanc explicationem, qua machina sit, quae a Vegetio IV, 14. describitur, tueri possit. Caesar B. Gall. V, 43: »Hostes, maximo clamore insecuti, quasi parta iam atque explorata victoria, turres testudinesque agere et scalis vallum adscendere coeperunt.« II, 12: „Castris munitis vineas agere, quaeque ad oppugnandum usui erant, comparare coepit.« Liv. XXI, 7. Sed ne verbo agere te decipi patiaris, caveto. Quamvis enim machina proprie agi dicatur, nihilominus militum quoque agmen in testudinem conglobatum et glomeratum, quum omnem habitum personarum paene perdiderit atque in rem sit mutata, pelli i. e. se pellere, agi i. e. se agere optima dici potest Latina consuetudine, atque omni dubitatione sublata in illo versu IX, 505:

Adcelerant acta pariter testudine Volsci.

revera dicitur. Firmat hunc sensum, quod obsessum limen vocatur, multitudine scilicet eorum, qui densa testudine succedunt. Una autem machina portam obsideri quis contendat! — Hae vero testudines testibus Livio XLIV, 9. et Ammian. Marc. XXVI, 8. 9. prope murum elatiores, in medio sensim depressiores, in fine quam maxime inclinatae reddebantur, ita ut tela vel saxa e muro missa non laederent, sed imbris in modum lubrico fastigio innoxia ad imum laberentur.

2. Ad muros propius aggressis opus erat, ut quae interiaceret fossa impleretur vallumque scinderetur. IX, 505:

Adcelerant acta pariter testudine Volsci
Et fossas inplere parant ac vellere vallum.

IX, 567:

Invadunt et fossas aggere conplent.

Cui compares Caes. B. Gall. III, 5: »Quum — — languidioribus — nostris vallum scindere et fossas complere coepissent.« III, 25: »Ibi quum alii fossas complerent . . .« V, 51: »Ut —

— alii vallum manu scindere, alii fossas complere inciperent." Cf. Aen. IX, 146:

Sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum?

Messapus IX, 524:

Rescindit vallum.

3. Fossa completa, vallo scisso varia instrumenta adhiberi oportebat. Studebant potissimum ut scalis moenia peterent. IX, 507:

Quaerunt pars aditum et scalis ascendere muros
Qua rarast acies interlucetque corona
Non tam spissa viris.

II, 442:

Haerent parietibus scalae.

IX, 524:

Rescindit vallum et scalas in moenia poscit.

XII, 576:

Scalae inproviso subitusque adparuit ignis.

Eodem quo apud Vergilium omnia a Tacito ordine nominantur Ann. XIII, 39: „Tum quadripartito exercitu hos in testudinem conglobatos subruendo vallo inducit, alios scalas moenibus admovere, multos tormentis faces et hastas incutere iubet." Praeterea varia apud Romanos exstabant machinarum genera partim ad urbem explorandam destinatarum. Quamobrem Troiani de equo illo ligneo dubitant II, 46:

Aut haec in nostros fabricatast machina muros
Inspectura domos venturaque desuper urbi.

II, 151:

Aut quae machina belli?

Turrium igitur mobilium quodammodo speciem ac vicem gerere opinantur. Quarum una tantum pluribus tabulatis extructa, rotis pontibusque praedita in Aeneide describitur XII, 672:

Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad caelum undabat vertex turrimque tenebat,
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse
Subdideratque rotas pontisque instraverat altos.

Quocum aptissime conferas Veget. IV, 17: „Turres autem dicuntur machinamenta ad aedificiorum speciem ex trabibus tabulatisque compacta — — His plures rotae mechanica arte subduntur — — in inferioribus habet arietem, cuius impetu destruit muros, circa mediam vero partem accipit pontem, factum de duabus trabibus . . . ." Quem arietem memorat (cf. IV, 14.) Vegetius, eius non oblitus est Vergilius quoque XII, 706:

Imos pulsabant ariete muros.

II, 492:

Labat ariete crebro
Ianua.

Pars XI, 890:

Arietat in portas et duros obice postis.

Eandemque vel similem, quae muros quatiat, machinam significari audio XII, 921:

Murali concita numquam
Tormento sic saxa fremunt.

4. Ignis denique ad cremandas urbes adhibebatur. VII, 577:

Turnus adest medioque in crimine caedis et ignis
Terrorem ingeminat.

IX, 153:

Luce, palam, certumst igni circumdare muros.

IX, 521:

Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum et fumiferos infert Mezentius ignis.

Ilioneus sternit saxo IX, 570:

Lucetium, portae subeuntem ignisque ferentem.

X, 118:

Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere caede viros, et moenia cingere flammis.

Ignem, quo Troia ipsa concremata est, e libro II. vix est, quod memoremus.

§. 47.

De obsessorum defensione.

His cunctis ab oppidanis opponebatur omne saxorum tormentorumque genus in unaquaque fere obsidione tritum atque usitatum. Ita IX, 509:

Telorum effundere contra
Omne genus Teucri ac duris detrudere contis
Adsueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere.

II, 445:

Dardanidae contra turris ac tecta domorum
Culmina convellunt — —
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvont.

Cf. II, 468. Quod ad illud Vegetii IV, 23. praeceptum accedit: »Interdum bases, columnae marmoreae vibrato impetu iaciuntur e

muris, arietesque confringunt." Huc pertinent saxa sudesque XI, 473., ubi ad urbem Latini

Praefodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subvectant.

Cf. Liv. XXIII, 37: „Inde primum saxis sudibusque et ceteris missilibus propugnatores moenia atque urbem tuebantur." Flor. III, 21: „Quum — — sudesque et saxa undique a moenibus et tela iacerentur." Caes. B. Gall. VII, 81: „Nostri — — fundis, librilibus sudibusque, quas in opere disposuerant, ac glandibus Gallos perterrent." Ipsae de muro matres, ut Camillam conspexerunt, XI, 893:

Tela manu trepidae iaciunt, ac robore duro
Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis.

Sed maiorem vim poetae inferri visum est ipsa domorum turriumque, ut II, 445., divulsione; atque duobus locis turrem ligneam cadentem nobis describit, priorem II, 460—467. ab ipsis oppidanis in oppugnatorum perniciem derutam:

Turrim in praecipiti stantem — —
Adgressi ferro circum, qua summa labantis
Iuncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus inpulimusque; ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit et Danaum super agmina late
Incidit.

Altero loco ipso obsidentium conatu evertitur IX, 530:

Turris erat vasto suspectu et pontibus altis,
Opportuna loco, summis quam viribus omnes
Expugnare Itali summaque evertere opum vi
Certabant, Troes contra defendere saxis.

A Turno incenditur, flammis corripitur. Qui intus sunt refugiunt 540:

In partem, quae peste caret, tum pondere turris
Procubuit subito et caelum tonat omne fragore,

qua obsessi gravi clade adfliguntur. Talem cadentis turris ruinaeque inde exortae imaginem non puto hodie poetae alicui tam facile in mentem venire, nisi bombis, quas vocant, confractam pingat, integri potius castelli igni erumpente in aerem sublati nostrae imaginationi adesse. Romani illa species quam maxime propria erat. Similia enim acciderant sane, quorum exemplum habes apud Caes. B. Civ. II, 11: „Compluribus iam lapidibus ex ea, quae suberat, turre subductis, repentina ruina, pars eius turris concidit, pars reliqua consequens procumbebat." Liv. XXXII, 17:

„Nam quum turris per aggerem parum densati soli ageretur, rota una in altiorem orbitam depressa ita turrim inclinavit, ut speciem ruentis hostibus trepidationemque insanam superstantibus armatis praebuerit.“ Denique **ignis** quoque ab obsessis impendebatur ad comburenda hostium opera. Unus sufficiet locus X, 130:

Hi iaculis, illi certant defendere saxis
Molirique ***ignem****, nervoque aptare sagittas.*

§. 48.

De armorum combustione.

Rex Evander ab Aenea discedens VIII, 561. praeteritae aetatis virtutisque suae memor exclamat:

Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa
Stravi scutorumque incendi victor acervos.

De tali scutorum incensione in illa, quae vulgo comparatur, Nestoris oratione Il. VII, 157. nulla exstat mentio. In Aeneide XI, 193. vero idem repetitum invenitur:

Hinc alii ***spolia*** *occisis derepta Latinis*
Coniciunt igni*, galeas ensesque decoros*
Frenaque ferventisque rotas; pars munera nota,
Ipsorum clipeos et non felicia tela.

Ne multa. Res est ex historia Romana desumpta Liv. I, 37: „Tarquinius instandum perterritis ratus praeda captivisque Romam missis, **spoliis hostium** (votum id Vulcano erat) **ingenti cumulo accensis**, pergit porro in agrum Sabinum exercitum inducere.“ VIII, 30: „Magister equitum, ut ex tanta caede [Samnitium], multis potitus spoliis, congesta **in ingentem acervum** hostilia arma subdito igne concremavit, seu votum id deorum cuipiam fuit, seu — — ne suae gloriae fructum dictator caperet.“ XXXIII, 46: „**Spolia** hostium Marcellus, Vulcano votum, **cremavit**.“ XXVIII, 23: „Consul **armis hostium** in uno **concrematis cumulo** ceteram praedam conferre omnes iussit.“ XLV, 33: „Edito ludicro omnis generis clipeisque aereis in navem impositis cetera omnis generis arma, **cumulata in ingentem acervum**, precatus Martem, Minervam, Luamque matrem et ceteros deos, quibus spolia hostium dicare ius fasque est, ipse imperator face subdita succendit.“ Plutarch. Mar. 22: *Μετὰ δὲ τὴν μάχην ὁ Μάριος, τῶν βαρβαρικῶν ὅπλων καὶ λαφύρων τὰ μὲν ἐκπρεπῆ καὶ ὁλόκληρα καὶ πομπικὴν ὄψιν τῷ θριάμβῳ δυνάμενα παρασχεῖν ἐπέλεξε· τῶν δ' ἄλλων ἐπὶ πυρᾶς μεγάλης κατασωρεύσας τὸ*

πλῆθος ἔθυσε θυσίαν μεγαλοπρεπῆ, καὶ τοῦ στρατοῦ περιεστῶτος ἐν ὅπλοις ἐστεφανωμένου περιζωσάμενος αὐτός, ὥσπερ ἔθος ἐστίν, ἀναλαβὼν τὴν περιπόρφυρον καὶ λαβὼν δᾷδα καιομένην, καὶ δι' ἀμφοτέρων τῶν χειρῶν ἀνασχὼν πρὸς τὸν οὐρανόν, ἔμελλεν ὑφήσειν τῇ πυρᾷ. Flor. IV, 12: „Arma victorum non ex more belli cremata, sed fracta sunt et in profluentes data."

§. 49.

De spoliis opimis.

Festus: »Opima magnifica et ampla; unde spolia quoque, quae dux P. R. duci hostium detraxit, quorum tanta raritas est, ut intra annos paulo . . . . trina contigerint nomini Romano, una, quae Romulus de Acrone, altera, quae consul Cossus Cornelius de Tolumnio, tertia, quae M. Marcellus Iovi Feretrio de Virdumaro fixerunt. M. Varro ait opima spolia esse, etiam si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium . . . . non sint.« Liv. IV, 20: „Spolia in aede Iovis Feretrii prope Romuli spolia, quae, prima opima appellata, sola ea tempestate erant, cum sollemni dedicatione dono fixit — — Omnes ante me auctores secutus A. Cornelium Cossum tribunum militum secunda spolia opima Iovis Feretrii templo intulisse, exposui; ceterum, praeterquam, quod ea rite opima spolia habentur, quae dux duci detraxit, ne ducem novimus, nisi cuius auspicio bellum geritur, titulus ipse spoliis inscriptus illos meque arguit consulem ea Cossum cepisse." Inde Vergilius VI, 842:

Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat?

et VI, 856:

Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnis!
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet, eques sternet Poenos Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

Cuius decoris quum adeo rara fortuna fuisset, ut tria tantum inter tot annos, tot bella parta essent, Aeneam magnopere se aucturum ratus est huius gloriae participem reddendo. Inde Mezentio occiso omnis illa descriptio XI, 5—11. intelligitur, quae vivam nobis huius rei imaginem expressit:

Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias, tibi, magne, tropaeum,

Bellipotens; aptat rorantis sanguine cristas
Telaque trunca viri et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis, clipeumque ex aere sinistrae
Subligat, adque ensem collo suspendit eburnum.

Quercum enim sumpserunt, ut Iovi sacra esse ostenderent; Pallas VIII, 423. ad Thybrim precatur:

Haec arma exuviasque viri tua quercus habebit.

Romulus quoque apud Liv. I, 10. spolia ducis ad quercum pastoribus sacram deponit, Iovi Feretrio dedicans, Aeneas Marti. Possit aliquis ex hac dedicatione eruere, secunda haec Aeneae iam spolia esse, ita ut prima III, 288. advocantur, quum lex illa antiqua Pompilii apud Festum prima spolia velit Iovi Feretrio, secunda Marti, tertia Quirino (cf. Aen. VI, 860.) iubeat consecrari. Iuvabit talia quasi digito monstrasse; in adoptandis his reclusis rationibus perpetuo est cavendum.

Pallas quoque hoc decus sibi optat Turnum conspiciens X, 449:

Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut leto insigni.

sed non adeptus est; Turnus potius iis potitus esse putari possit, quum balteum Pallanti detraxerit; quum vero Pallas non dux fuerit, nomine opimorum haec spolia non sunt notanda.

§. 50.

De spoliis figendis.

Praeter opima alia saepenumero memorantur spolia minora v. g. I, 289. II, 395. VIII, 202. IX, 242. 450. 457. X, 500. 504. 775. 862. XI, 193. 594. 782. 791. XII, 94., sed in his omnibus moris alicuius distincti nulla certa effigies. Illos potius hic arcessamus locos, quibus vel in templorum vel aedium privatarum foribus spolia figi dicuntur. Huc pertinet de posterioribus I, 248: [Antenor]

Et genti nomen dedit armaque fixit
Troia.

in Priami domo II, 503:

Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro spoliisque superbi.

de Caci spelunca VIII, 196:

Foribusque adfixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.

de Entelli domo V, 393:

Ubi fama per omnem
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis.

Tu de Romanis audias Polyb. VI, 39: Ἔν τε ταῖς οἰκίαις κατὰ τοὺς ἐπιφανεστάτους τόπους τιθέασι τὰ σκῦλα, σημεῖα ποιούμενοι καὶ μαρτύρια τῆς ἑαυτῶν ἀρετῆς. Plin. N. H. XXXV, 2: „Aliae foris et circa limina domitarum gentium imagines erant adfixis hostium spoliis, quae nec emptori refigere liceret, triumphabantque etiam dominis mutatis ipsae domus.“ Ad templa iam spectare videtur Aeneae Actia littora relinquentis conatus III, 286:

Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis
Postibus adversis figo et rem carmine signo:
Aeneas haec de Danais victoribus arma.

Clipei votivi Romae non ad antiquissimam aetatem sunt revocandi. Plinius N. H. XXXV, 3: „Suorum vero clipeos in sacro vel publico privatim dicare primus instituit, ut repperio, Appius Claudius, qui consul cum Servilio fuit anno urbis CCLIX.“ Hostium vero clipeos dicare multo antiquius fuit. Interdum spolia de templis refixerunt. Aeneas V, 359:

Et clipeum efferri iussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.

Cf. Liv. XXII, 57: „Arma, tela, alia parari iubent, et vetera hostium spolia detrahunt templis porticibusque.“ XXIV, 21: „Inermes ex Olympii Iovis templo spolia Gallorum Illyriorumque dono data Hieroni a populo Romano, fixaque ab eo, detrahunt, precantes Iovem, ut volens propitius praebeat sacra arma.“ Marcellus VI, 860:

Tertioque arma patri suspendet capta Quirino.

Maxima spoliorum copia in regia vel templo Pici VII, 183. memoratur:

Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque secures
Et cristae capitum et portarum ingentia claustra,
Spiculaque clipeique ereptaque rostra carinis.

Cf. Sueton Octav. 18: „Locum castrorum, quibus fuerat usus, exornatum navalibus spoliis Neptuno ac Marti consecravit.“ Augustus VIII, 721:

Dona recognoscit populorum aptatque superbis
Postibus.

Nisus ad Latoniam precatur IX, 408: *Dona*

Si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.

De Camilla Chlorea persequente poeta XI, 778:

Hunc virgo, sive ut templis praefigeret arma
Troia, captivo sive ut se ferret in auro —
Caeca sequebatur.

Adde Cul. 82:

Non, spoliis dum sancta deum fulgentibus ornet
Templa vel evectus finem transcendat habendi.

§. 51.

De curru, quadriga et triumpho.

Sed audio iam interpretes Graecissantes Homerum huc advocare currumque, quo demonstraturi Graecam indolem sint, heroici temporis ciere. Et revera concedendum est, hac locorum farragine hoc instrumentum inveniri I, 468. 486. VI, 485. 651. 653. VII, 163. 184. 280. 655. 724. 782. VIII, 433. IX, 12. 317. X, 403. 440. 571. 574. 575. 581. 587. 590. 592. 595. 596. XI, 88. XII, 287. 327. 329. 355. 370. 372. 478. 485. 495. 511. 664. 681. 918. Unus etiam insignior est locus, qui manifesto ostendat, a poeta currum necessarium ad rem bellicam esse habitum, quippe quum de quibusdam Italiae populis adfirmet VII, 685:

Non illis omnibus arma
Nec clipei currusve sonant.

Poterit aliquis hac difficultate se ea ratione expedire, ut contendat, antiquissimo aevo revera currus bellicos in Italia fuisse; locum fortasse ex historico quodam eruat, a quo talia narrentur. Sed his ratiocinationibus non opus est. Quid multa? Concedamus, Vergilii ingenio inhaesisse quaedam ex perpetua Homeri aliorumque poetarum epicorum lectione, inhaesisse hanc imaginem belli e fabula illa de Hectore atque Achille tritissima, inhaesisse denique e continenti marmorum picturarumque aspectu, quibus currus et numinum et heroum et Cupidinum erant effícti. Talia Romanam indolem nec maculant, nec delent. Id quaeri potest, an, quae apud ipsum sunt quadrigae, Homericam spirent indolem v. g. X, 570:

Quin ecce Niphaei
Quadriiugis in equos adversaque pectora tendit.

XII, 161:

Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru.

Herodoto teste IV, 189. Libyes demum Graecos quadrigarum usum docuerant: Καὶ τέσσερας ἵππους συζευγνύναι παρὰ Λιβύων

οἱ Ἕλληνες μεμαθήκασι. Plinio teste N. H. VII, 57: „Bigas prima iunxit Phrygum natio, quadrigas Erichthonius." Sed quid ad nos! Talia poeta iam habere potuit ex historia. Narrat ipse VIII, 642:

Haud procul inde citae Mettum in diversa quadrigae
Distulerant.

quod idem Livius I, 28: „Exinde duabus admotis quadrigis in currus earum distentum inligat Mettum." Habere potuit ex usu in ludis publicis solito, Georg. I, 512:

Ut cum carceribus sese effudere quadrigae.

Cf. Liv. VIII, 40. Habere denique potuit ex triumphantium more, qui urbem quadriga vehentes intrabant. Ita apud Liv. XXVIII, 9. senatus decrevit, „ut M. Livium, quadrigis urbem ineuntem, milites sequerentur." Quod ubi spectaveris, intelliges III, 537. Aeneae ad Italiam appulsi dicta:

Quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentis campum late, candore nivali.
Et pater Anchises: Bellum, o terra hospita, portas,
Bello armantur equi, bellum haec armenta minantur.
Sed tamen idem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, et frena iugo concordia ferre:
Spes et pacis, ait.

Triumphi scilicet, unde cum ratione equos *candore nivali* depingit. Albi enim equi adhibebantur teste Servio ad Aen. IV, 543: „Qui enim ovationem meretur, et uno equo utitur, et a plebeis vel ab equitibus Romanis deducitur ad Capitolium, et de ovibus sacrificat, unde et ovatio dicta. Qui autem triumphat, albis equis utitur quattuor, et senatu praeeunte in Capitolio de tauris sacrificat." Quod de tauris grammaticus profert, poeta confirmat Italiae laudes canens Georg. II, 145:

Hinc bellator ecus campo sese arduus infert;
Hinc albi, Clitumne, greges et maxuma taurus
Victima saepe, tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa deum duxere triumphos.

Triumphorum copiam iterum tangit VI, 813:

Tullus in arma viros et iam desueta triumphis
Agmina [movebit].

In Aeneae clipeo Vulcanus fecerat VIII, 626:

Hic res Italas Romanorumque triumphos;

Vocatur etiam IV, 37. *Africa terra triumphis dives.* Alteram triumphi formam, ovationem, poeta nequaquam adhibuit, quamvis voce *ovare* utatur κατὰ μεταφορὰν haud raro. Immo eum de pri-

maria vi non amplius cogitare, sed indiscretam significationem summae vincendi spei ac laetitiae in ea constare VI, 589. perspicitur, ubi Salmoneus *quattuor invectus equis ibat ovans.*

§. 52.

De pace petenda.

Ad impetrandam pacem victus victorem petebat triplici gestu. Primo opus erat verbis precantibus, oratione supplici, quam carmine nostro demonstrandam vel ex ipsorum Troianorum apud Didonem conventu I, 520., vel apud Latinum VII, 168., vel regis Latini apud Aeneam XI, 100. vix susceperimus. Deinde manus tendebant. Manuum elatio proprie ad religionem pertinebat; sed quum cuncti, qui supplicabantur, in deorum tutela esse crederentur, in omni tantae demissionis caerimonia reverentiae aliquid divinae inesse voluerunt antiqui. Turnus iratus XI, 414. ait:

Oremus pacem et dextras tendamus inertis.

Hoc X, 80. vocatur *pacem orare manu.* Cf. Caes. B. Civ. III, 98: „Sine recusatione fecerunt, passisque palmis, proiecti ad terram, flentes ab eo salutem petierunt.“ Tertium erat ramorum oleaginearum usus. Aeneas VII, 154. centum legatos ad regem Latinum

Ire iubet, ramos velatos Palladis omnis,

Minerva vero, ut Georg. I, 18. dicit, oleae erat inventrix. Aeneas interrogatus a Pallante, utrum pacem an arma ferat, VIII, 116:

Paciferaeque manu ramum praetenuit olivae.

XI, 101. oratores adsunt ex urbe Latina

Velati ramis oleae, veniamque rogantes.

XI, 331:

Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu praetendere ramos.

Verum non oleae solum manus ramis velatae esse dicuntur, sed vitta quadam sancta indutae, quod significat VIII, 128:

Et vitta comptos voluit praetendere ramos.

Utramque Livius quoque memorat XXIV, 30: „Quos ubi ex signis armorumque habitu cognovere Hippocrates atque Epicydes, ramos oleae ac velamenta alia supplicum porrigentes, orare.“ XXIX, 16: »Decem legati Locrensium, obsiti squalore et sordibus, in comitio sedentibus consulibus velamenta supplicum, ramos oleae, ut Graecis mos est, porrigentes ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt.« Hoc tamen loco non satis con-

stat, utrum ipsi rami velamenta sint, ut Vergilius *ramis velatos* appellat, an ἀσυνδέτως et vittae, et rami ponantur. Posterius magis placet. XXX, 36: „Haud procul aberat, quum velata infulis ramisque oleae Carthaginiensium occurrit navis. Decem legati erant principes civitatis (*oratores prima de gente* Verg. XI, 331.) auctore Hannibale missi ad petendam pacem. Qui quum ad puppim praetoriae navis accessissent, velamenta supplicum porrigentes, orantes implorantesque fidem et misericordiam Scipionis.“ XXXV, 34: »Liberos et coniugem eius cum sordida veste, tenentes velamenta supplicum, concionem frequentem adire iubent.“ XLIV, 19: „Sacrificio rite perfecto primi Alexandrini, legati ab Ptolemaeo et Cleopatra regibus vocati sunt. Sordidati, barba et capillo promisso, cum ramis oleae ingressi curiam procubuerunt, et oratio, quam habitus, fuit miserabilior.“ Audis itaque a Livio, morem oleae in signum pacis porrigendae revera Graecum esse, quod ex artis monumentorum copia confirmari poterit. Sed quomodo poetam nostrum a tali labe defendemus? Non negandum, ipsum hoc loco Graecum ritum adoptasse, sed talem ritum, qui, quum populus Romanus vix unquam ad preces et supplicationes bello victus fuerit delapsus, e patria ipsa arcessi nequaquam poterat. Ubi enim occasio semper defuit, ibi mos quoque patrius excoli nequit. Quum igitur supplices modo Troianos, modo Italos redderet, non erat, quod morem ex historia partim Graeca, partim Romana notissimum Graecum reiiceret. Denique vero non dubito, quin ab ipsis illis nationibus, quae Augusti tempore Romam conveniebant supplicantes, iidem illi mores sint observati, a Vergilioque nostro nescio an sint ipso spectati.

§. 53.

De legatis.

Legatos apud Homerum praecones invenimus, apud Vergilium posteriorum vix unam, quantum scio, mentionem, (V, 245.) legatos vero non raro obvios. Tales Aeneas I, 510:

Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum
Teucrorumque alios . . . . .

I, 518:

Nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam, et templum clamore petebant.

Deinceps introgrediuntur ad Didonem *et coram data copia fandi*, ut

legatis mos est. Eadem senatus Romani imitatio in legatis Aeneae a rege Latino recipiendis VII, 152:

Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad moenia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnis,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.

Latinus vero nuntio allato VII, 168:

Ille intra tecta vocari
Inperat, et solio medius consedit avito.

ubi Servius argutior fortasse, quam verus: »Dissentit hoc loco a Romana consuetudine. Nam legati si quando incogniti venire nuntiarentur, primo, quid vellent, ab exploratoribus requirebatur, post ad eos egrediebantur magistratus minores, et tunc demum senatus extra urbem postulata noscebat, et ita, si visum fuisset, admittebantur. Sed hoc prudenter fecit. Latinum namque memorem vult esse responsi et avidum satis ad externos videndos, per quos ei promittebatur felicitas.“ Neque enim a consuetudine Romana Vergilium dissentientem video — quis enim a poeta tanta severitate omnem legis ususque formulam teneri postulabit? — neque quo artificio Vergilium errantem, ut adserit, defendit, mihi persuasum est. — Ut Aeneas centum ad Latinum mittit, ita Latinus ad Aeneam XI, 330:

Praeterea, qui dicta ferant et foedera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu praetendere ramos.

Id tantum interest, quod hic delecti sunt *prima de gente*, illic *ordine ab omni* „ex omni qualitate dignitatum, ut Servius ait, quod apud Romanos in legatione mittenda hodieque servatur.“ Ceterum animadvertas Ilioneum et VII, 211. et I, 521. oratoris partes suscepisse. Revera autem legatos poetae in animo fuisse, luculenter ostendit dictum Aeneae ad Evandrum VIII, 143:

His fretus non legatos neque prima per artem
Temptamenta tui pepigi; me, me ipse meumque
Obieci caput et supplex ad limina veni.

Nescio an non legatos quoque cogitaverit poeta VIII, 6., ubi

Ductores primi Messapus et Ufens
Contemptorque deum Mezentius undique cogunt
Auxilia, et latos vastant cultoribus agros.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium.

Certum est XI, 100:

Iamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleae, veniamque rogantes.

XI, 227:

Legati responsa ferunt.

XI, 239:

Adque hic legatos Aetola ex urbe remissos,
Quae referant, fari iubet.

XI, 296:

Vix ea legati.

Unum est, quod in legationibus duabus cum Romana consuetudine non congruere video. Observavi enim apud Livium, legatos numero tres solitos esse mitti v. g. III, 31: „Missi legati Athenas Sp. Postumius Albus, A. Manlius, P. Sulpicius Camerinus, iussique inclitas leges Solonis describere et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores iuraque noscere.“ III, 50: „Mittuntur tres legati consulares.“ V, 28: „Crateramque auream donum Apollini Delphos legati qui ferrent, L. Valerius, L. Sergius, A. Manlius missi.“ V, 35: „Legati tres M. Fabii Ambusti filii missi.“ XXX, 25: „Legatos Carthaginem L. Baebium, L. Sergium, L. Fabium extemplo misit.“ XXXI, 2: „Interim ad Ptolemaeum Aegypti regem legati tres missi.“ XLII, 35: „In Cretam item legatos tres ire placuit.“ XLII, 45: „Inde legatio sub idem tempus in Asiam circum insulas missa; tres erant legati.“ XLIII, 1: „Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius praetor tres ex senatu nominet legatos.“ XLIV, 18. L. epitom. Interdum vero duo mittebantur, ut XXI, 6. (Homerus quoque duobus praeconibus utitur), alias unus sine dubio vel plures etiam. Varro de vita P. R. III. fragm. p. 246. quattuor memorat: „Fetiales legatos repetitum mittebant quattuor, quos oratores vocabant.“ Numerum vero, qui Vergilio placuit, nusquam invenio adhibitum. At ne obliviscamur poesin Maronis esse eam quidem, quae rerum gestarum fundamento sit superstructa adque ad earum faciem effigiemque quasi delineata et adumbrata, sed poesin tamen, non historiam. Poetam igitur arbitrari quis possit, vel ad centum Romuli senatores respexisse, vel legatorum solitum numerum ita in maius auxisse, ut verum numerum in se multiplicaret; verum autem decem fuisse, insignes hi testantur Livii loci XXXIII, 24: „Decem legati more maiorum, quorum ex consilio T. Quinctius imperator leges pacis Philippo daret, decreti.“ (Cf. XXXIII, 30. 31. 34. 39.) XXXVII, 55: „Quibus omnibus datum est responsum, decem legatos more maiorum senatum missurum ad res Asiae disceptandas componendas-

que." XLV, 17: „Legatos deinde, quorum de sententia imperatores L. Paullus, L. Anicius componerent res, decreverunt decem in Macedoniam, quinque in Illyricum." Qua subtiliore explicatione quum poeta nimium etiam ad calculos vocari videatur, centenarium numerum fateamur hic, ut plurimis locis, magnam in universum multitudinem significare, neque singularem inesse rationem. Vide enim hos locos. Furor I, 295:

Centum vinctus aenis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Veneri I, 415:

Centumque Sabaeo
Ture calent arae sertisque recentibus halant.

Dido mittit ad litora I, 634:

Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pinguis centum cum matribus agnos.

ubi suovetaurile ita institutum, ut viginti tauri in naves viginti distribuantur, centum vero sues et agni ἑκατομβήν efficiant, ut VII, 93. Latinus:

Centum lanigeras mactabat rite bidentis.

Cyclopes III, 643:

Centum alii curva haec habitant ad litora volgo.

Iarbas IV, 199:

Templa Iovi centum latis inmania regnis,
Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem.

Cf. I, 415. Huc Sibyllae quoque pertinet antrum VI, 43:

Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum.

VI, 81:

Ostia iamque domus patuere ingentia centum.

Inhumatorum animae VI, 329:

Centum errant annos volitantque haec litora circum.

Poeta ait VI, 625:

Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum.

quem numerum ex Hostio, belli Histrici auctore, Maro imitatus est. Homerus Il. II, 489. moderatius:

Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν.

Posteriores igitur poetae plane hunc numerum in se multiplicaverunt, ut Vergilius XII, 899. binarium in duodenarium auxit. Berecyntia mater VI, 787. est:

Laeta deum partu, centum conplexa nepotes.

Galaesus, ditissimus arvis VII, 539:

Terram centum vertebat aratris.

Belli portas VII, 609:

Centum aerei claudunt vectes.

Pulcher Aventinus clipei insigne VII, 658:

Centum anguis cinctamque gerit serpentibus Hydram.

cui, ut iam alii animadverterunt, VI, 576. quinquaginta tantum hiatus dat, e quo exemplo poetae in hoc numero usurpando mos optime perspicitur. Ceteri loci ut II, 501: *centum nurus* apud Hecubam, III, 106. *centum urbes* Cretae, X, 565. *centum bracchia* Aegaeonis historicam vel mythologicam veritatem habent; denique IX, 162. centeni milites, et VII, 170. centum columnae, ut iam vidimus, non sine ratione a poeta ponuntur.

§. 54.

De foedere.

Quantum Homerus dissentiat a poeta Romano, potissimum e foederis ritu liquet, quippe, qui, quamvis vates Graecus ansam atque obiter et quasi per transennam respicienti eius exemplar dedisse videatur, toto caelo ab Achaeorum Troianorumque more distet. Verba illa sollemnia *foedus componere* X, 15., *foedera iungere* VII, 546., *ferire* X, 154., *coire in foedera* XI, 292., *foederis aequas leges dicere* XI, 321., *concipere* XII, 13. 158., deinde *excutere* XII, 158., *confundere* XII, 290., *turbare* XII, 633., *luere* XII, 695., *solvere* X, 91. cet. tango tantum ut notissima atque e scriptore unoquoque oppido firmando. Ritus ipsi nos vocant. Esse autem e Livio XXXIV, 57. scimus tria genera foederum, unum quum bello victis dicerentur leges, alterum quum pares bello aequo foedere in pacem atque amicitiam venirent, tertium esse genus, quum, qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali foedere inter se iungendam coeant. Quodsi ex hac distributione foedus in Aeneidis XII. perpetratum consideramus, secundi generis esse patebit. In ipso concipiendo primum notandum est, aras gramineas, quarum apud Homerum ne minimum quide vestigium exstat, apud Vergilium commemorari. Cf. XII, 116:

Campum ad certamen magnae sub moenibus urbis
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant;
In medioque focos et dis communibus aras
Gramineas.

Iam Servius: „Romani enim moris fuerat, cespitem arae superimponere, et ita sacrificare. Gramineas autem ideo, quia et de bello res agitur, et Marti sacrificatur, cui gramen est consecratum, quod

secundum Plinium in naturali historia ex humano cruore procreatur.“ Locum Plinii non inveni, sed huc pertinent eius XXII, 3. verba: „Siquidem auctores imperii Romani conditoresque immensum quiddam et hinc [ignobilibus herbis] sumpsere, quoniam non aliunde sagmina in remediis publicis fuere et in sacris legationibusque verbenae. Certe utroque nomine idem significatur, hoc est, gramen ex arce cum sua terra evulsum, ac semper e legatis, quum ad hostes clarigatumque mitterentur, id est, res raptas clare repetitum, unus utique verbenarius vocabatur.“ Qui apud Plinium verbenarii, apud Vergilium sunt XII, 120:

Velati limo et verbena tempora vincti.

Servius: „Verbena proprie est herba sacra sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur fetiales et pater patratus foedera facturi vel bella indicturi.“ Varro de vit. P. R. fragm. III. p. 247: „Verbenarius ferebat verbenam; id erat caduceus, pacis signum; nam Mercurii virgam possumus existimare.“ Adfirmat deinde Plinius 4. nullam coronam graminea fuisse nobiliorem. Quod de legationibus ait, id ad feedera maxime spectat. Livius de foedere cum Carthaginiensibus iciendo narrat XXX, 43: Fetiales quum in Africam ad foedus feriendum ire iuberentur, ipsis postulantibus senatusconsultum in haec verba factum est: ut privos lapides silices privasque verbenas secum ferrent, uti praetor Romanus his imperaret, ut foedus ferirent, illi praetorem sagmina poscerent. Herbae id genus ex arce sumptum dari fetialibus solet.“ Paullus ex Festo: „Sagmina dicebant herbas verbenas, quia ex loco sancto arcebantur (?) legatis proficiscentibus ad foedus faciendum bellumque indicendum vel a sanciendo id est confirmando.“ Plane eadem ratio in antiquo illo foedere apparet I, 24: „Fetialis regem Tullum ita rogavit: Iubesne me, rex, cum patre patrato populi Albani foedus ferire? iubente rege, sagmina, inquit, te, rex, posco. Rex ait: Puram tollito. Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit.«

2. Porro XII, 119:

Alii fontem ignemque ferebant.

Aqua et ignis apud Romanos in sollemnibus formulis erant insignes, in gravissimis negotiis adhibebantur: »Aqua et igni, inquit Paullus ex Festo, tam interdici solet damnatis, quam accipiunt nuptae. Itaque [itemque?] funus prosecuti redeuntes ignem supergradiebantur aqua aspersi, quod purgationis genus vocabant suffitionem.« Servius: »Sane ad facienda foedera aqua et ignis adhibentur. Unde e contra, quos arcere volumus a nostro consortio, eis aqua

et igni interdicimus.“ Aeneis XII, 181. Fontes fluviosque vocat et numina ponti, Latinus 201. Iovem, qui foedera fulmine sancit, Latinus aras tangit, mediosque ignes. Aqua igitur non sine ratione apud Vergilium in usu est, apud Homerum Il. III, 270. βασιλεῦσιν quidem ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν, sed haec vulgaris illa ad omnia convivia et sacrificia est manuum ablutio; e religione foederis autem vinum praecones apportant III, 246: οἶνον ἐύφρονα, καρπὸν ἀρούρης, et 269: κρητῆρι δὲ οἶνον Μίσγον, 295: Οἶνον δ' ἐκ κρητῆρος ἀφυσσάμενοι δεπάεσσιν Ἔκχεον, precantur spectatores 300: Ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος; apud Vergilium ne certum quidem est, utrum libatio 174. (*paterisque altaria libant*) sit vini, an potius aquae. Apud Homerum ignis nulla mentio, apud Vergilium 119. et 201. et 171. de *flagrantibus aris* sermo est, atque de eodem illo foedere, quod Livius I, 24. brevius describit, narrat Dionysius Hal. A. R. III, 18: Πρῶτον μὲν ἱερὰ θύσαντες ὤμοσαν ἐπὶ των ἐμπύρων.

3. Apud Homerum III, 246. praecones adferunt victimas agnas, ἄρνε δύω, quarum capita 292. aere amputantur atque in terram deponuntur; Priamus ipse 310: ἐς δίφρον ἄρνας θέτο. Aliter Maro 169:

Procedunt castris, puraque in veste sacerdos
Saetigerae fetum suis intonsamque bidentem
Attulit admovitque pecus flagrantibus aris.

Porcam itaque et ovem adhibent. Confirmat porcam ipse poeta de Romulo Tatioque VIII, 641. narrans:

Stabant et caesa iungebant foedera porca.

Confirmat Livius I, 24: »Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit.« IX, 5: „Ut eum ita Iuppiter feriat, quemadmodum a fetialibus porcus feriatur.“ Varro R. R. II, 4. med.: „Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur, cuius vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, et quod, initiis pacis foedus quum feritur, porcus occiditur, et quod nuptiarum initio antiqui reges ac sublimes viri in Hetruria in coniunctione nuptiali nova nupta et novus maritus primum porcum immolant.“ Sed hic porcus ubique, apud Vergilium porca! Gravis ἀπορία, quam Quintilianus VIII, 3. ipse videtur tetigisse: „Quaedam [humilia verba] non tam ratione quam sensu iudicantur, ut illud: *Caesa iungebant foedera porca*, fecit elegans fictio nominis; quod si fuisset porco, vile erat.“ Neque vilitatem in hoc, neque elegantiam in hac video, monendumque et porcum et porcam in foedere immolari. Audi Cic. leg. II, 22, 55: „Neque necesse est

edisseri a nobis, quae finis funestae familiae, quod genus sacrificii Lare verbecibus fiat, quemadmodum os resectum terra obtegatur, quaeque in porca contracta iura sint." Paullus ex Festo: „Porci effigies inter militaria signa quintum locum obtinebat, quia confecto bello, inter quos pax fieret, caesa porca foedus firmare solebant." Sueton. Claud. 25: „Cum regibus foedus in foro icit porca caesa ac vetere fetialium praefatione adhibita." Ceterum de porco vel porca ritum indicant numi v. g. gentis Antistiae cum inscriptione: CAESAR. AVG. TR. POT. VIII. Rs. VETVS. FOEDVS. P. R. CVM. GABINIS. ANTIST. IIIVIR. (Klausen Aeneas T. II. tab. I, 7.), alius eiusdem gentis (Wilde sel. numism. ant. Amstelodami 1792. p. 167.) cum inscriptione capitis: IMP. CAES. AVGVS. TR. POT. VIII. Rs. VETVS. FOED. P. R. CVM. GABINIS. C. ANTIST. In hoc numo fetiales ipsi porcae conversae pedes tenent, flamma in ara coronata lucente, in priore dextras iungunt porca in aram deposita. Tertius exstat numus Capuae cum capite Iovis, Rs. duobus sacerdotibus porcam tenentibus et gladio vel silice armatis Mus. Brit. N. tab. II, 9. (III, 9. Mionnet Suppl. I. p. 235. n. 249., similis cum capite Iovis inscripto ROMA, Rs. eadem et inscriptione Osca Mus. Borb. T. II. Tab. 16. nr. 13.

Duo vero hic restare videntur, quae, quantum scimus, ad certum aliquem morem Romanum revocari nequeant, primum quod XII, 173:

Tempora ferro
Summa notant pecudum.

Quid? Ferrum adhibetur, quum Livius I, 24. saxo silice percuti porcam disertis verbis nuntiet, quum privos lapides silices fetiales XXX, 43. secum Africam deportent. At neque hoc Homeri est, apud quem instrumentum aereum, neque omnino haec res nimis urgenda, quum postea ne feriantur quidem, sed 214. in flammam (ἐπὶ τῶν ἐμπύρων) iugulentur pecudes, quum non capita, sed viscera, ut apud Romanos mos est, eripiantur. Alterum πρόβλημα gravius est. Non enim porcam unam solam, sed *intonsam bidentem* adiiciunt sacerdotes. Talia Vergilius non inconsulto, neque sua fictione effutire solet. Quid ergo ovem? Nusquam simile exemplum repperi, Serviusque auctus ille et, quem putant viri docti, interpolatus verba habet: »Sane ovem Graeco more foederi adhibuit.« Λύσιν huius quaestionis acutiores eruant. Potest poeta vel ex antiquo aliquo libro pontificali caerimoniam talem nosse, vel duos diversissimos populos notare voluisse, alterum cuius porca (alba) signum sit, Troianorum alterum cui ovis sit destinata, vel foedus ita patrasse, ut infectum, id est, non rite perfectum talium rerum gnaro visum sit. Latini etiam

postea mutati 242: *Foedusque precantur infectum*, est Aulestes 290. *avidus confundere foedus*, Aeneas contra clamat 314: *Ictum iam foedus*, 316: *Ego foedera faxo Firma manu.* Videant alii. Apud Homerum denique setae de victimarum capite secantur proceribusque distribuuntur, cuius moris nulla apud nostrum mentio fit.

4. Differunt etiam dii, qui invocantur apud Graecum, quique apud Latinum poetam, non omnes, quidam saltem. Audi Agamemnonem Il. III, 276:

> Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
> Ἠέλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις,
> καὶ Ποταμοὶ καὶ Γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
> ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

Aeneam XII, 176:

> *Esto nunc Sol testis et haec mihi Terra vocanti,*
> *Quam propter tantos potui perferre laboris,*
> *Et Pater omnipotens, et tu Saturnia coniunx,*
> *Iam melior iam diva, precor: tuque inclute Mavors,*
> *Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques;*
> *Fontesque Fluviosque voco, quaeque aetheris alti*
> *Religio, et quae caeruleo sunt numina ponto.*

Qui si conferantur, hanc habes tabulam:

Ζεύς.	Iuppiter.
Ἥλιος.	Sol.
Γαῖα.	Terra.
Ποταμοί.	Fluvii (et Fontes).
Dii inferni.	Numina ponti.
	Aetheris numina.
	Iuno.
	Mavors.

Latinum XII, 197:

> *Haec eadem, Aenea, Terram, Mare, Sidera, iuro,*
> *Latonaeque genus duplex, Ianumque bifrontem,*
> *Vimque deum infernam et duri sacraria Ditis:*
> *Audiat haec Genitor, foedera qui fulmine sancit.*

Quos cum illis Homeri comparantes hanc habemus:

Ζεύς.	Iuppiter.
Γαῖα.	Terra.
Ἥλιος	Apollo et Diana.
Ποταμοί.	. . . .
Dii inferni.	Dis.
	Mare.
	Sidera.
	Ianus.

Non solum itaque, ut semper apud posteriores poetas fieri solet, usus maiore numinum copia Vergilius est, sed singulare quid et Italici iuris reliquias reddidit. Apud Dionysium quoque Hal. A. R. II, 50, Romulus soli Ὀρθωσίῳ Διί (Iovi Statori) sacrificat: Τάτιος δὲ Ἡλίῳ καὶ Σελήνῃ καὶ Κρόνῳ καὶ Ῥέᾳ, πρὸς δὲ τούτοις Ἑστίᾳ καὶ Ἡφαίστῳ καὶ Ἀρτέμιδι καὶ Ἐνυαλίῳ καὶ ἄλλοις θεοῖς, ὧν χαλεπὸν ἐξειπεῖν Ἑλλάδι γλώττῃ τὰ ὀνόματα. *Latonae genus duplex* respondet Ἡλίῳ καὶ Σελήνῃ (Ἀρτέμιδι), *Mavors* Ἐνυαλίῳ, *Ianus* diis illis, quorum nomina pronuntiatu est difficile. Apud Homerum denique, ut alia, quae in sacris explicentur, pacisque ipsius condiciones omittam, unus tantum iurat manibus elatis Agamemnon (χεῖρας ἀνασχών III, 275), apud Maronem uterque, Aeneas stricto ense (XII, 175.), Latinus sceptrum dextra tenens (XII, 206.) dextramque ipsam tollens (XII, 196.).

§. 55.

De navibus.

Quemadmodum Vegetius belli navalis praecepta libro quarto de re militari addidit, nobis quoque, quum magna belli in Aeneide gesti pars navibus Troianis agatur, earum constructionem effigiemque demonstrari permissum erit. Quantopere a rudibus illis Homericorum carminum incrementis differant, atque ad summam rei navalis tempore Augusteo perfectionem sint exaratae, spero fore ut nemo non perspiciat. Navibus ex Ida monte conditis se Troia navigasse narrat Aeneas III, 5:

Classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae.

confirmat poeta IX, 80:

Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Aeneas classem, et pelagi petere alta parabat.

Viginti navibus se venisse profitetur idem Aeneas I, 381:

Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor.

quarum quamvis e tempestate Siciliana primo quidem septem tantum servatae essent (383.), mox tamen omnes iubente Venere portum tenuerunt (400.). Quae antea disiectae vel fractae fuerant, Heleno auctore remigio suppletae sunt. Carthaginem quoque integra classis (IV, 582) reliquisse videtur. Apud Siciliam vero ipsam quaedam feminis Beroa instigatis comburuntur V, 698:

Restinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quattuor amissis, servatae a peste carinae.

Nonnisi sedecim igitur restant, eaeque paene a Turno IX, 72. combustae miro poetae invento IX, 80—122. in nymphas maris mutantur. Quarum una X, 225. Graeco nomine *Cymodocea* appellatur. Quam fabulam utrum Vergilius e suo ingenio, an e volumine aliquo oblitterato hauserit, non constat. Ait quidem IX, 79.

Prisca fides facto, sed fama perennis.

qui versus, ut obscurus omnino est, ita miri inventi excusandi causa additus esse videtur. Servius saltem cum interpretum antiquissimorum turba simile quidpiam non repperit ad IX, 82. adnotans: „Figmentum hoc licet poeticum sit, tamen quia exemplo caret, notatur a criticis." In promptu tamen sunt, quae Maronis imaginationem ad tale figmentum compulerunt, imagines illae navium in picturis Herculanensibus Pompeianisque satis frequentes (Antich. d'Ercol. II, 45. 46.), quarum prorae oculorum humanorum formis exsurgunt, nominaque Graecorum praecipue triremium saepenumero a deabus nymphisve deductae. Aristophanes quoque equit. 1313. triremes παρθένους appellavit. Cf. picturam Vaticanam in Millin. mythol. Galler. Tab. CLXXVI. nr. 652. Ceterum quum Aeneas eo loco omnes naves perdiderit (cf. IX, 128), dubitare aliquis possit, quomodo altero die X, 147:

Media Aeneas freta nocte secabat.

a Tarchonte auxilia petiturus. Sed ad Evandrum Aenea per Tiberim vecto naves ceterae mutatae erant. Postea quidem foedere cum Tarchonte peracto X, 155:

Classem conscendit iussis gens Lydia divom
Externo commissa duci. Aeneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones;
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.

qui versus fortasse eo tempore scripti sunt, quo mutatio navium Idaearum vel nondum animo erat concepta vel deleta iam. Novam vero hanc classem triginta navium fuisse videmus X, 213:

Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Troiae, et campos salis aere secabant.

Qui numerus quum in Romanorum institutis fuerit insignis, a poeta non sine ratione adhibetur. Audi enim I, 269: [Iulus]

Triginta magnos volvendis mensibus orbis
Imperio explebit, regnumque ab sede Lavini
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.

III, 390:

Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa iacebit.

VIII, 43:

Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum,
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.

Quemadmodum hi anni ex historia antiquissima, ita triginta illae naves è receptiore Romana sunt enumeratae. Etenim anno V. C. DXLVII. Livio XXVIII, 45. teste: »Provinciae ita decretae, alteri consuli Sicilia et triginta rostratae naves, quas C. Servilius superiore anno habuisset.“ Eodem anno Scipio (ibid.): „Triginta navium carinae, viginti quinqueremes, decem quadriremes, quum essent positae, ipse ita institit operi, ut die quadragesimo quinto, quam ex silvis detracta materia erat, naves instructae armataeque in aquam deductae sint. (46.) Profectus in Siciliam est triginta navibus longis.« XXVII, 7: »Triginta quinqueremes ex Sicilia Tarentum ad Q. Fabium consulem mitti iussae.« Cf. XXVII, 8. Quamquam classem integram Romanam maiorem fuisse constat.

2. De materia navium fabricandarum haec Vegetius IV, 34. profert: »Ex cupresso ergo et pinu domestica sive silvestri larice et abiete praecipue Liburna contexitur, utilius aereis clavis, quam ferreis, configenda.« Quod de pinu cum illo Georg. II, 442. convenit:

Dant alios aliae fetus, dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus caedrumque cupressosque.

Eclog. IV, 38:

Cedet et ipse mari vector, nec nauticae pinus
Mutabit merces.

Cf. Aen. X, 206:

Mincius infesta ducebat in aequora pinu.

Pinus una cum picea et acere materiam quoque dederunt classis Troianae teste ipsa matre Berecyntia X, 84:

Pinea silva mihi, multos dilecta per annos
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis.
Has ego Dardanio iuveni, cum classis egeret,
Laeta dedi.

teste poeta X, 115:

Neve armate manus; maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus.

Altera ad naves fabricandas est Georg. II, 68:

Cassus abies visura marinos.

Quapropter poeta V, 68. *pictas abiete puppis* nominat, et Aeneae VIII, 91:

Labitur uncta vadis abies.

Quod de aere adhibendo Vegetius profert, confirmatum Vergilio videmus, apud quem *aera* XI, 329., *aerata* navis X, 166., *aes* remorum I, 35. X, 214., *aerea puppis* V, 198., *aeratae prorae* IX, 121. X, 223. *classis aeratae* VIII, 675., occurrunt.

3. Nomina navium apud nos usitata Homero erant incognita, neque tamen Graecis Romanisque. Quattuor invenimus in illo certamine navali ad Siliciam instituto V, 116 (118. 122.):

Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim —
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram — —
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna, Scyllaque Cloanthus.

quibus monstra vel marina vel fabulosa e tribus duobusve corporibus conflata sectatus est poeta. Quod Pristim attinet, notatu dignus est alter locus X, 209:

Hunc vehit inmanis Triton et caerula concha
Exterrens freta, cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem praefert in pristim desinit alvos.

Hic igitur quoque duo corpora navis effigiem efficiunt. Denique X, 166:

Massicus aerata princeps secat aequora tigri.

Aeneaeque navis praetoria X, 158. nescio an *Ida* fuerit appellata. Qualia nomina feminina quamvis e Graecorum copia facile possint esse hausta, tamen apud Romanos quoque sunt TRIERES CONCORDIA, LIBER PATER, RHINOCEROS, TRIREME MARTE, TAVRO. alia multa, partim feminini, masculi partim generis. Cf. Orelli. 3611. Murat. DCCCLXII, 3. DCCCLXX, 7. DCCCXXXIV, 5. DCCLXXX, 5.

4. Varia porro sunt magnitudo navium atque instrumenta. Memoratur centum remorum navigium X, 207:

It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctum
Verberat adsurgens; spumant vada marmore verso.

Servius putat arbore non remis dictum esse »ad exprimendam navis magnitudinem, quae plures habuit remorum ordines.« Quod vereor ne poetae verba non prodant. Plures tamen remorum ordines aliis locis indicat, biremes VIII, 79. Aeneas:

Sic memorat, geminasque legit de classe biremis,
Remigioque aptat.

Agit V, 120:

Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,
Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu
Inpellunt, terno consurgunt ordine remi.

ubi, quum e Thucydide I, 13. iam constaret, Aminoclem demum Corinthium triremes multo post tempora Troiana condidisse, alii iam viderunt, Maronem Homericam subtilitatem veritatemque, quam appellant, nequaquam secutum esse. Hi vero remi eo quoque differunt ab Homericis, quod aere sunt firmati, unde I, 35. Troiani:

Vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant.

Tusci X, 214:

Campos salis aere secabant.

neque vero semper; nam I, 104: *Franguntur remi* et V, 205:

Acuto in murice remi
Obnixi crepuere.

cf. 209. X, 306. Quapropter opus est, ut interdum suppleatur remigium. Ita Helenus III, 471. Aeneae

Remigium supplet, socios simul instruit armis.

De vehementi remigantium ictu III, 560. dicitur:

Insurgite remis.

Ad remigium V, 136. 663. 752. transtra quoque pertinent, quorum nomen III, 289. IV, 273.

Sed praeter remos transtraque aliae etiam spectandae sunt navium partes. Notissimae sunt prorae, quae aeratae X, 223. vocantur, in quibusque rostra sunt fixa, quae V, 143. VIII, 690. ad rei veritatem expressa *tridentia* appellantur. Cf. X, 295. Tarchontis adhortationem:

Inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.

Formam in numis et picturis antiquis habes.

De puppibus deinde notatu dignum, quod V, 633. *pictae abiete*. V, 198. *aerea* appellatur, dignius VIII, 693:

Tanta mole viri turritis puppibus instant.

ubi Servius docte: »Hoc de historia traxit; nam Agrippa primus hoc genus turrium invenit, ut de tabulatis subito erigerentur, simul ac ventum esset in proelium, turres hostibus improvisae.« Sed non eas poeta tangere videtur turres, quae de navibus improviso eriguntur, sed quae in ipsis fixae stant. Iam Cn. Pompeius filius teste Caesare B. Civ. III, 40: »navem, quae erat ad custodiam ab

Acilio posita, pluribus aggressus navibus, in quibus ad libram fecerat turres, ut ex superiori pugnans loco —, — adversariorum manus diduceret." Deinde B. Gall. III, 14. »Turribus autem excitatis tamen has altitudo puppium ea barbaris [Venetorum] navibus superabat." Flor. IV, 11: »Quippe a senis in novenos remorum ordinibus, a hoc turribus atque tabulatis allevatis castellorum vel urbium specie non sine gemitu maris et labore ventorum ferebantur." Verum huc non pertinent, quae in ipsa Syracusarum per Marcellum oppugnatione anno V. C. DXXXVIII. a Livio XXIV, 34. memorantur turres contabulatae, quae ad solam murorum obsidionem pertinent. In numis quoque turritae puppes interdum conspiciuntur.

Neque illud negligendum, quod fausta occasione oblata nautae puppes coronabant. Ita IV, 418. Troianorum de Carthagine decedentes:

Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.

Quem Italorum morem fuisse iam ex ipsius nostri comparatione Georg. I, 303. percipis:

Ceu pressae cum iam portum tetigere carinae,
Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.

Qui loci ita differunt, ut illi vela dantes naves ornent, hi vero in portum delati. Rem inlustrat Sueton. Vitell 10: »Namque itinere inchoato per medias civitates ritu triumphantium vectus est, perque flumina delicatissimis navigiis et variarum coronarum genere redimitis inter profusissimos opsoniorum apparatus, nulla familiae aut militis disciplina, rapinas ac petulantiam omnium in iocum vertens." Ovid. Metam. XV, 696:

Torta coronatae solvunt retinacula puppis.

Valer. Flacc. Argon. I, 301:

Visa coronatae fulgens tutela carinae.

Quaesitum vero saepe, utrum in puppi an in prora tutela navium fuerit. Distinguenda sunt insigne et tutela. Prius, quod non dei vel deae alicuius imaginem sed ferarum vel monstrorum fabulosorum exhibebat, in prora fixum erat. (Cf. Antich. d'Ercol. V, 1.) Tali ratione X, 156:

Aeneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones.

ubi rostro, prorae itaque, Phrygios leones subiunctos esse notato; verum si poeta pergit:

Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Aeneas, secumque volutat
Eventus belli varios, Pallasque sinistro
Adfixus lateri iam quaerit sidera . . . .

probe animadvertendum, quod Idam i. e. imaginem matris Idaeae (cui X, 253. *biiugique ad frena leones*) superimminentem Aeneia **puppis** tenet, ubi Aeneas una cum Pallante navis, ut videtur, rectore sedet. Abantis quoque X, 171:

Aurato fulgebat Apolline puppis.

i. e. tutela navis, Apollinis imago deaurata, in puppi erat posita. Neque ab hac loci sanctitate absonum videtur, quod Anchises III, 326:

Divosque vocavit

Stans celsa in puppi.

Augustus VIII, 679:

Cum Patribus Populoque Penatibus et magnis Dis

Stans celsa in puppi.

Ab insignibus vero, quae in prora erant, verisimile est naves nomen habuisse. Ita nomen *Pristim* Servius V, 116. explicat: „vel a tutela depicta, vel ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα.“ ubi prius eligens potius: „ab insigni depicto“ dixeris. Quodsi igitur ceteras consideraverimus naves, in altera triremi V, 118. **Chimaeram** depictam fuisse statuemus, in tertiae Sergesteae prora Centaurum V, 122:

Centauro invehitur magna.

itidem filius Cycni X, 195:

Ingentem remis Centaurum promovet.

quibus compares Propert. IV, 6, 49:

Quodque vehunt prorae **Centauros** saxa minantes.

Quarta in ludis Sicilianis navis memorata V, 122. Scyllam insigne gessit. In classi Tuscorum porro X, 166:

Massicus aerata princeps secat aequora tigri.

Servius: „*Aerata tigri*, cuius rostrum erat in similitudinem tigridis; namque solent naves vocabula accipere a pictura tutelarum.“ ubi iterum tutelarum nomen insignium loco minus recte posuit. Secundam navem Centaurum X, 195. iam memoravimus. In tertia, quae laudatur, Ocni navi quingenti sunt armati X, 205:

Quos patre Benaco velatus harundine glauca

Mincius infesta ducebat in aequora pinu.

atque in ea imago Mincii fluvii, qui e lacu Benaco profluit, specie viri harundine velati depicta erat. In quarta X, 209:

Inmanis Triton et caerula concha

Exterrens freta, cui laterum tenus hispida nanti

Frons hominem praefert, in pristim desinit alvos.

Sed ab his prorarum monstris redeundum est ad cetera navium arma, quorum notandi sunt *clavus* V, 177. 852. X, 218. al., *fori*

IV, 605. VI, 412., *malus* V, 487. 829., *antennae* III, 549., *vela* locis innumeris, *rudentes* V, 753., *funes* III, 667., *trudes* V, 208., *conti* V, 208. VI, 302., *ancorae* I, 169. III, 277. VI, 4. 902., *pontes* denique in ipso littoris appulsu X, 287. 654. 658. Magister navis I, 115. V, 867., VI, 353., qui *ductor* VI, 334., *gubernator* VI, 337., *rector* V, 161. nominatur, in puppi semper ad clavum sedet, nocteque sidera observat. Appulsus ita perficitur, ut puppes littori subducantur, non prorae, ut nostratium mos est. Cf. III, 135:

Iamque fere sicco subductae litore puppes.

VI, 3:

Obvertunt pelago proras — et litora curvae
Praetexunt puppes.

X, 288. 293., ubi Tarchontis vitium animadvertas. Portum relinquentes funes, quibus navis alligata erat, incidebant III, 667:

Tacitique incidere funem.

IV, 575:

Festinare fugam tortosque incidere funis
Ecce iterum stimulat.

Cf. IV, 580. V, 773:

Solvique ex ordine funem.

Navalia denique si memoraverimus, nihil aliud supererit, nisi pictura quaedam in externa navi vulgo et apud alios populos et apud Romanos adhibita. VII, 431:

Duces pictasque exure carinas.

VIII, 92:

Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virum fluvio, pictasque innare carinas.

Cf. Seneca epist. 76: „Navis bona dicitur, non quae pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cuius tutela ebore caelata est.“

III.

De sacris.

Morem ritusque sacrorum
Adiciam faciamque omnis uno ore Latinos.
XII, 836.

et igni interdicimus.“ Aeneïs XII, 181. **Fontes fluviosque** vocat et numina ponti, Latinus 201. Iovem, qui foedera fulmine sancit, Latinus aras tangit, mediosque **ignes**. Aqua igitur non sine ratione apud Vergilium in usu est, apud Homerum Il. III, 270. *βασιλεῦσιν* quidem *ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν*, sed haec vulgaris illa ad omnia convivia et sacrificia est manuum ablutio; e religione foederis autem **vinum** praecones apportant III, 246: *οἶνον ἐΰφρονα, καρπὸν ἀρούρης*, et 269: *κρητῆρι δὲ οἶνον Μίσγον*, 295: *Οἶνον δ' ἐκ κρητῆρος ἀφυσσάμενοι δεπάεσσιν Ἔκχεον*, precantur spectatores 300: *Ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος*; apud Vergilium ne certum quidem est, utrum libatio 174. (*paterisque altaria libant*) sit vini, an potius aquae. Apud Homerum ignis nulla mentio, apud Vergilium 119. et 201. et 171. de *flagrantibus aris* sermo est, atque de eodem illo foedere, quod Livius I, 24. brevius describit, narrat Dionysius Hal. A. R. III, 18: *Πρῶτον μὲν ἱερὰ θύσαντες ὤμοσαν ἐπὶ των ἐμπύρων.*

3. Apud Homerum III, 246. praecones adferunt victimas agnas, *ἄρνε δύω*, quarum capita 292. aere amputantur atque in terram deponuntur; Priamus ipse 310: *ἐς δίφρον ἄρνας θέτο.* Aliter Maro 169:

> *Procedunt castris, puraque in veste sacerdos*
> *Saetigerae fetum suis intonsamque bidentem*
> *Attulit admovitque pecus flagrantibus aris.*

Porcam itaque et **ovem** adhibent. Confirmat porcam ipse poeta de Romulo Tatioque VIII, 641. narrans:

> *Stabant et **caesa** iungebant foedera **porca**.*

Confirmat Livius I, 24: »Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit.« IX, 5: „Ut eum ita Iuppiter feriat, quemadmodum a fetialibus porcus feriatur.“ Varro R. R. II, 4. med.: „Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur, cuius vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, et quod, **initiis pacis foedus quum feritur, porcus occiditur**, et quod nuptiarum initio antiqui reges ac sublimes viri in Hetruria in coniunctione nuptiali nova nupta et novus maritus primum porcum immolant.“ Sed hic porcus ubique, apud Vergilium porca! Gravis *ἀπορία*, quam Quintilianus VIII, 3. ipse videtur tetigisse: „Quaedam [humilia verba] non tam ratione quam sensu iudicantur, ut illud: *Caesa iungebant foedera porca*, fecit elegans fictio nominis; quod si fuisset porco, vile erat.“ Neque vilitatem in hoc, neque elegantiam in hac video, monendumque et porcum et porcam in foedere immolari. Audi Cic. leg. II, 22, 55: „Neque necesse est

edisseri a nobis, quae finis funestae familiae, quod genus sacrificii Lare verbecibus fiat, quemadmodum os resectum terra obtegatur, quaeque in porca contracta iura sint." Paullus ex Festo: „Porci effigies inter militaria signa quintum locum obtinebat, quia confecto bello, inter quos pax fieret, caesa porca foedus firmare solebant." Sueton. Claud. 25: „Cum regibus foedus in foro icit porca caesa ac vetere fetialium praefatione adhibita." Ceterum de porco vel porca ritum indicant numi v. g. gentis Antistiae cum inscriptione: CAESAR. AVG. TR. POT. VIII. Rs. VETVS. FOEDVS. P. R. CVM. GABINIS. ANTIST. IIIVIR. (Klausen Aeneas T. II. tab. I, 7.), alius eiusdem gentis (Wilde sel. numism. ant. Amstelodami 1792. p. 167.) cum inscriptione capitis: IMP. CAES. AVGVS. TR. POT. VIII. Rs. VETVS. FOED. P. R. CVM. GABINIS. C. ANTIST. In hoc numo fetiales ipsi porcae conversae pedes tenent, flamma in ara coronata lucente, in priore dextras iungunt porca in aram deposita. Tertius exstat numus Capuae cum capite Iovis, Rs. duobus sacerdotibus porcam tenentibus et gladio vel silice armatis Mus. Brit. N. tab. II, 9. (III, 9. Mionnet Suppl. I. p. 235. n. 249., similis cum capite Iovis inscripto ROMA, Rs. eadem et inscriptione Osca Mus. Borb. T. II. Tab. 16. nr. 13.

Duo vero hic restare videntur, quae, quantum scimus, ad certum aliquem morem Romanum revocari nequeant, primum quod XII, 173:

Tempora ferro
Summa notant pecudum.

Quid? Ferrum adhibetur, quum Livius I, 24. saxo silice percuti porcam disertis verbis nuntiet, quum privos lapides silices fetiales XXX, 43. secum Africam deportent. At neque hoc Homeri est, apud quem instrumentum aereum, neque omnino haec res nimis urgenda, quum postea ne feriantur quidem, sed 214. in flammam (ἐπὶ τῶν ἐμπύρων) iugulentur pecudes, quum non capita, sed viscera, ut apud Romanos mos est, eripiantur. Alterum πρόβλημα gravius est. Non enim porcam unam solam, sed *intonsam bidentem* adiiciunt sacerdotes. Talia Vergilius non inconsulto, neque sua fictione effutire solet. Quid ergo ovem? Nusquam simile exemplum repperi, Serviusque auctus ille et, quem putant viri docti, interpolatus verba habet: »Sane ovem Graeco more foederi adhibuit.« Λύσιν huius quaestionis acutiores eruant. Potest poeta vel ex antiquo aliquo libro pontificali caerimoniam talem nosse, vel duos diversissimos populos notare voluisse, alterum cuius porca (alba) signum sit, Troianorum alterum cui ovis sit destinata, vel foedus ita patrasse, ut infectum, id est, non rite perfectum talium rerum gnaro visum sit. Latini etiam

postea mutati 242: *Foedusque precantur infectum*, est Aulestes 290. *avidus confundere foedus*, Aeneas contra clamat 314: *Ictum iam foedus*, 316: *Ego foedera faxo Firma manu.* Videant alii. Apud Homerum denique setae de victimarum capite secantur proceribusque distribuuntur, cuius moris nulla apud nostrum mentio fit.

4. Differunt etiam dii, qui invocantur apud Graecum, quique apud Latinum poetam, non omnes, quidam saltem. Audi Agamemnonem Il. III, 276:

Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
Ἠέλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις,
καὶ Ποταμοὶ καὶ Γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

Aeneam XII, 176:

Esto nunc Sol testis et haec mihi Terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre laboris,
Et Pater omnipotens, et tu Saturnia coniunx,
Iam melior iam diva, precor: tuque inclute Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques;
Fontesque Fluviosque voco, quaeque aetheris alti
Religio, et quae caeruleo sunt numina ponto.

Qui si conferantur, hanc habes tabulam:

Ζεύς.	Iuppiter.
Ἥλιος.	Sol.
Γαῖα.	Terra.
Ποταμοί.	Fluvii (et Fontes).
Dii inferni.	Numina ponti.
	Aetheris numina.
	Iuno.
	Mavors.

Latinum XII, 197:

Haec eadem, Aenea, Terram, Mare, Sidera, iuro,
Latonaeque genus duplex, Ianumque bifrontem,
Vimque deum infernam et duri sacraria Ditis:
Audiat haec Genitor, foedera qui fulmine sancit.

Quos cum illis Homeri comparantes hanc habemus:

Ζεύς.	Iuppiter.
Γαῖα.	Terra.
Ἥλιος	Apollo et Diana.
Ποταμοί.	. . . .
Dii inferni.	Dis.
	Mare.
	Sidera.
	Ianus.

Non solum itaque, ut semper apud posteriores poetas fieri solet, usus maiore numinum copia Vergilius est, sed singulare quid et Italici iuris reliquias reddidit. Apud Dionysium quoque Hal. A. R. II, 50. Romulus soli Ὀρθωσίῳ Διὶ (Iovi Statori) sacrificat: Τάτιος δὲ Ἡλίῳ καὶ Σελήνῃ καὶ Κρόνῳ καὶ Ῥέᾳ, πρὸς δὲ τούτοις Ἑστίᾳ καὶ Ἡφαίστῳ καὶ Ἀρτέμιδι καὶ Ἐνυαλίῳ καὶ ἄλλοις θεοῖς, ὧν χαλεπὸν ἐξειπεῖν Ἑλλάδι γλώττῃ τὰ ὀνόματα. *Latonae genus duplex* respondet Ἡλίῳ καὶ Σελήνῃ (Ἀρτέμιδι), *Mavors* Ἐνυαλίῳ, *Ianus* diis illis, quorum nomina pronuntiatu est difficile. Apud Homerum denique, ut alia, quae in sacris explicentur, pacisque ipsius condiciones omittam, unus tantum iurat manibus elatis Agamemnon (χεῖρας ἀνασχών III, 275), apud Maronem uterque, Aeneas stricto ense (XII, 175.), Latinus sceptrum dextra tenens (XII, 206.) dextramque ipsam tollens (XII, 196.).

§. 55.

De navibus.

Quemadmodum Vegetius belli navalis praecepta libro quarto de re militari addidit, nobis quoque, quum magna belli in Aeneide gesti pars navibus Troianis agatur, earum constructionem effigiemque demonstrari permissum erit. Quantopere a rudibus illis Homericorum carminum incrementis differant, atque ad summam rei navalis tempore Augusteo perfectionem sint exaratae, spero fore ut nemo non perspiciat. Navibus ex Ida monte conditis se Troia navigasse narrat Aeneas III, 5:

Classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae.

confirmat poeta IX, 80:

Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Aeneas classem, et pelagi petere alta parabat.

Viginti navibus se venisse profitetur idem Aeneas I, 381:

Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor.

quarum quamvis e tempestate Siciliana primo quidem septem tantum servatae essent (383.), mox tamen omnes iubente Venere portum tenuerunt (400.). Quae antea disiectae vel fractae fuerant, Heleno auctore remigio suppletae sunt. Carthaginem quoque integra classis (IV, 582) reliquisse videtur. Apud Siciliam vero ipsam quaedam feminis Beroa instigatis comburuntur V, 698:

Restinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quattuor amissis, servatae a peste carinae.

Nonnisi sedecim igitur restant, eaeque paene a Turno IX, 72. combustae miro poetae invento IX, 80—122. in nymphas maris mutantur. Quarum una X, 225. Graeco nomine *Cymodocea* appellatur. Quam fabulam utrum Vergilius e suo ingenio, an e volumine aliquo oblitterato hauserit, non constat. Ait quidem IX, 79.

Prisca fides facto, sed fama perennis.

qui versus, ut obscurus omnino est, ita miri inventi excusandi causa additus esse videtur. Servius saltem cum interpretum antiquissimorum turba simile quidpiam non repperit ad IX, 82. adnotans: „Figmentum hoc licet poeticum sit, tamen quia exemplo caret, notatur a criticis.“ In promptu tamen sunt, quae Maronis imaginationem ad tale figmentum compulerunt, imagines illae navium in picturis Herculanensibus Pompeianisque satis frequentes (Antich. d' Ercol. II, 45. 46.), quarum prorae oculorum humanorum formis exsurgunt, nominaque Graecorum praecipue triremium saepenumero a deabus nymphisve deductae. Aristophanes quoque equit. 1313. triremes παρθένους appellavit. Cf. picturam Vaticanam in Millin. mythol. Galler. Tab. CLXXVI. nr. 652. Ceterum quum Aeneas eo loco omnes naves perdiderit (cf. IX, 128), dubitare aliquis possit, quomodo altero die X, 147:

Media Aeneas freta nocte secabat.

a Tarchonte auxilia petiturus. Sed ad Evandrum Aenea per Tiberim vecto naves ceterae mutatae erant. Postea quidem foedere cum Tarchonte peracto X, 155:

Classem conscendit iussis gens Lydia divom
Externo commissa duci. Aeneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones;
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.

qui versus fortasse eo tempore scripti sunt, quo mutatio navium Idaearum vel nondum animo erat concepta vel deleta iam. Novam vero hanc classem triginta navium fuisse videmus X, 213:

Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Troiae, et campos salis aere secabant.

Qui numerus quum in Romanorum institutis fuerit insignis, a poeta non sine ratione adhibetur. Audi enim I, 269: [Iulus]

Triginta magnos volvendis mensibus orbis
Inperio explebit, regnumque ab sede Lavini
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.

III, 390:

Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa iacebit.

VIII, 43:

Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum,
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.

Quemadmodum hi anni ex historia antiquissima, ita triginta illae naves e receptiore Romana sunt enumeratae. Etenim anno V. C. DXLVII. Livio XXVIII, 45. teste: »Provinciae ita decretae, alteri consuli Sicilia et triginta rostratae naves, quas C. Servilius superiore anno habuisset.“ Eodem anno Scipio (ibid.): „Triginta navium carinae, viginti quinqueremes, decem quadriremes, quum essent positae, ipse ita institit operi, ut die quadragesimo quinto, quam ex silvis detracta materia erat, naves instructae armataeque in aquam deductae sint. (46.) Profectus in Siciliam est triginta navibus longis.« XXVII, 7: »Triginta quinqueremes ex Sicilia Tarentum ad Q. Fabium consulem mitti iussae.« Cf. XXVII, 8. Quamquam classem integram Romanam maiorem fuisse constat.

2. De materia navium fabricandarum haec Vegetius IV, 34. profert: »Ex cupresso ergo et pinu domestica sive silvestri larice et abiete praecipue Liburna contexitur, utilius aereis clavis, quam ferreis, configenda.« Quod de pinu cum illo Georg. II, 442. convenit:

Dant alios aliae fetus, dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus caedrumque cupressosque.

Eclog. IV, 38:

Cedet et ipse mari vector, nec nauticae pinus
Mutabit merces.

Cf. Aen. X, 206:

Mincius infesta ducebat in aequora pinu.

Pinus una cum picea et acere materiam quoque dederunt classis Troianae teste ipsa matre Berecyntia X, 84:

Pinea silva mihi, multos dilecta per annos
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis.
Has ego Dardanio iuveni, cum classis egeret,
Laeta dedi.

teste poeta X, 115:

Neve armate manus; maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus.

Altera ad naves fabricandas est Georg. II, 68:

Cassus ***abies*** *visura marinos.*

Quapropter poeta V, 68. *pictas* ***abiete*** *puppis* nominat, et Aeneae VIII, 91:

Labitur uncta vadis ***abies.***

Quod de aere adhibendo Vegetius profert, confirmatum Vergilio videmus, apud quem *aera* XI, 329., *aerata* navis X, 166., *aes* remorum I, 35. X, 214., *aerea puppis* V, 198., *aeratae prorae* IX, 121. X, 223. *classis aeratae* VIII, 675., occurrunt.

3. **Nomina** navium apud nos usitata Homero erant incognita, neque tamen Graecis Romanisque. Quattuor invenimus in illo certamine navali ad Siliciam instituto V, 116 (118. 122.):

Velocem Mnestheus agit acri remige ***Pristim*** —
Ingentemque Gyas ingenti mole ***Chimaeram*** — —
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro *invehitur magna,* ***Scylla****que Cloanthus.*

quibus monstra vel marina vel fabulosa e tribus duobusve corporibus conflata sectatus est poeta. Quod Pristim attinet, notatu dignus est alter locus X, 209:

Hunc vehit inmanis ***Triton*** *et caerula concha*
Exterrens freta, cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem praefert in pristim desinit alvos.

Hic igitur quoque duo corpora navis effigiem efficiunt. Denique X, 166:

Massicus aerata princeps secat aequora ***tigri.***

Aeneaeque navis praetoria X, 158. nescio an *Ida* fuerit appellata. Qualia nomina feminina quamvis e Graecorum copia facile possint esse hausta, tamen apud Romanos quoque sunt TRIERES CONCORDIA, LIBER PATER, RHINOCEROS, TRIREME MARTE, TAVRO. alia multa, partim feminini, masculi partim generis. Cf. Orelli. 3611. Murat. DCCCLXII, 3. DCCCLXX, 7. DCCCXXXIV, 5. DCCLXXX, 5.

4. Varia porro sunt magnitudo navium atque instrumenta. Memoratur centum remorum navigium X, 207:

It gravis Aulestes, ***centenaque arbore*** *fluctum*
Verberat adsurgens; spumant vada marmore verso.

Servius putat arbore non remis dictum esse »ad exprimendam navis magnitudinem, quae plures habuit remorum ordines.« Quod vereor ne poetae verba non prodant. Plures tamen remorum ordines aliis locis indicat, **biremes** VIII, 79. Aeneas:

Sic memorat, geminasque legit de classe biremis,
Remigioque aptat.

Agit V, 120:

Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,
Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu
Inpellunt, terno consurgunt ordine remi.

ubi, quum e Thucydide I, 13. iam constaret, Aminoclem demum Corinthium triremes multo post tempora Troiana condidisse, alii iam viderunt, Maronem Homericam subtilitatem veritatemque, quam appellant, nequaquam secutum esse. Hi vero remi eo quoque differunt ab Homericis, quod aere sunt firmati, unde I, 35. Troiani:

Vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant.

Tusci X, 214:

Campos salis aere secabant.

neque vero semper; nam I, 104: *Franguntur remi* et V, 205:

Acuto in murice remi
Obnixi crepuere.

cf. 209. X, 306. Quapropter opus est, ut interdum suppleatur remigium. Ita Helenus III, 471. Aeneae

Remigium supplet, socios simul instruit armis.

De vehementi remigantium ictu III, 560. dicitur:

Insurgite remis.

Ad remigium V, 136. 663. 752. transtra quoque pertinent, quorum nomen III, 289. IV, 273.

Sed praeter remos transtraque aliae etiam spectandae sunt navium partes. Notissimae sunt prorae, quae aeratae X, 223. vocantur, in quibusque rostra sunt fixa, quae V, 143. VIII, 690. ad rei veritatem expressa *tridentia* appellantur. Cf. X, 295. Tarchontis adhortationem:

Inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.

Formam in numis et picturis antiquis habes.

De puppibus deinde notatu dignum, quod V, 633. *pictae abiete*. V, 198. *aerea* appellatur, dignius VIII, 693:

Tanta mole viri turritis puppibus instant.

ubi Servius docte: »Hoc de historia traxit; nam Agrippa primus hoc genus turrium invenit, ut de tabulatis subito erigerentur, simul ac ventum esset in proelium, turres hostibus improvisae.« Sed non eas poeta tangere videtur turres, quae de navibus improviso eriguntur, sed quae in ipsis fixae stant. Iam Cn. Pompeius filius teste Caesare B. Civ. III, 40: »navem, quae erat ad custodiam ab

Acilio posita, pluribus aggressus navibus, in quibus ad libram fecerat turres, ut ex superiori pugnans loco —, — adversariorum manus diduceret.“ Deinde B. Gall. III, 14. »Turribus autem excitatis tamen has altitudo puppium ea barbaris [Venetorum] navibus superabat.“ Flor. IV, 11: »Quippe a senis in novenos remorum ordinibus, a hoc turribus atque tabulatis allevatis castellorum vel urbium specie non sine gemitu maris et labore ventorum ferebantur.“ Verum huc non pertinent, quae in ipsa Syracusarum per Marcellum oppugnatione anno V. C. DXXXVIII. a Livio XXIV, 34. memorantur turres contabulatae, quae ad solam murorum obsidionem pertinent. In numis quoque turritae puppes interdum conspiciuntur.

Neque illud negligendum, quod fausta occasione oblata nautae puppes coronabant. Ita IV, 418. Troianorum de Carthagine decedentes:

Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.

Quem Italorum morem fuisse iam ex ipsius nostri comparatione Georg. I, 303. percipis:

Ceu pressae cum iam portum tetigere carinae,
Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.

Qui loci ita differunt, ut illi veld dantes naves ornent, hi vero in portum delati. Rem inlustrat Sueton. Vitell 10: »Namque itinere inchoato per medias civitates ritu triumphantium vectus est, perque flumina delicatissimis navigiis et variarum coronarum genere redimitis inter profusissimos opsoniorum apparatus, nulla familiae aut militis disciplina, rapinas ac petulantiam omnium in iocum vertens.“ Ovid. Metam. XV, 696:

Torta coronatae solvunt retinacula puppis.

Valer. Flacc. Argon. I, 301:

Visa coronatae fulgens tutela carinae.

Quaesitum vero saepe, utrum in puppi an in prora tutela navium fuerit. Distinguenda sunt insigne et tutela. Prius, quod non dei vel deae alicuius imaginem sed ferarum vel monstrorum fabulosorum exhibebat, in prora fixum erat. (Cf. Antich. d'Ercol. V, 1.) Tali ratione X, 156:

Aeneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones.

ubi rostro, prorae itaque, Phrygios leones subiunctos esse notato; verum si poeta pergit:

Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Aeneas, secumque volutat
Eventus belli varios, Pallasque sinistro
Adfixus lateri iam quaerit sidera . . . .

probe animadvertendum, quod Idam i. e. imaginem matris Idaeae (cui X, 253. *biiugique ad frena leones*) superimminentem Aeneia **puppis** tenet, ubi Aeneas una cum Pallante navis, ut videtur, rectore sedet. Abantis quoque X, 171:

Aurato fulgebat Apolline puppis.

i. e. tutela navis, Apollinis imago deaurata, in puppi erat posita. Neque ab hac loci sanctitate absonum videtur, quod Anchises III, 326:

Divosque vocavit
Stans celsa in puppi.

Augustus VIII, 679:

Cum Patribus Populoque Penatibus et magnis Dis
Stans celsa in puppi.

Ab insignibus vero, quae in prora erant, verisimile est naves nomen habuisse. Ita nomen *Pristim* Servius V, 116. explicat: „vel a tutela depicta, vel ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα." ubi prius eligens potius: „ab insigni depicto" dixeris. Quodsi igitur ceteras consideraverimus naves, in altera triremi V, 118. Chimaeram depictam fuisse statuemus, in tertiae Sergesteae prora Centaurum V, 122:

Centauro invehitur magna.

itidem filius Cycni X, 195:

Ingentem remis Centaurum promovet.

quibus compares Propert. IV, 6, 49:

Quodque vehunt prorae Centauros saxa minantes.

Quarta in ludis Sicilianis navis memorata V, 122. Scyllam insigne gessit. In classi Tuscorum porro X, 166:

Massicus aerata princeps secat aequora tigri.

Servius: „*Aerata tigri*, cuius rostrum erat in similitudinem tigridis; namque solent naves vocabula accipere a pictura tutelarum." ubi iterum tutelarum nomen insignium loco minus recte posuit. Secundam navem Centaurum X, 195. iam memoravimus. In tertia, quae laudatur, Ocni navi quingenti sunt armati X, 205:

Quos patre Benaco velatus harundine glauca
Mincius infesta ducebat in aequora pinu.

atque in ea imago Mincii fluvii, qui e lacu Benaco profluit, specie viri harundine velati depicta erat. In quarta X, 209:

Inmanis Triton et caerula concha
Exterrens freta, cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem praefert, in pristim desinit alvos.

Sed ab his prorarum monstris redeundum est ad cetera navium arma, quorum notandi sunt *clavus* V, 177. 852. X, 218. al., *fori*

IV, 605. VI, 412., *malus* V, 487. 829., *antennae* III, 549., *vela* locis innumeris, *rudentes* V, 753., *funes* III, 667., *trudes* V, 208., *conti* V, 208. VI, 302., *ancorae* I, 169. III, 277. VI, 4. 902., *pontes* denique in ipso littoris appulsu X, 287. 654. 658. Magister navis I, 115. V, 867., VI, 353., qui *ductor* VI, 334., *gubernator* VI, 337., *rector* V, 161. nominatur, in puppi semper ad clavum sedet, nocteque sidera observat. Appulsus ita perficitur, ut puppes littori subducantur, non prorae, ut nostratium mos est. Cf. III, 135:

Iamque fere sicco subductae litore puppes.

VI, 3:

Obvertunt pelago proras — et litora curvae
Praetexunt puppes.

X, 288. 293., ubi Tarchontis vitium animadvertas. Portum relinquentes funes, quibus navis alligata erat, incidebant III, 667:

Tacitique incidere funem.

IV, 575:

Festinare fugam tortosque incidere funis
Ecce iterum stimulat.

Cf. IV, 580. V, 773:

Solvique ex ordine funem.

Navalia denique si memoraverimus, nihil aliud supererit, nisi pictura quaedam in externa navi vulgo et apud alios populos et apud Romanos adhibita. VII, 431:

Duces pictasque exure carinas.

VIII, 92:

Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virum fluvio, pictasque innare carinas.

Cf. Seneca epist. 76: „Navis bona dicitur, non quae pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cuius tutela ebore caelata est.“

III.

De sacris.

Morem ritusque sacrorum
Adiciam faciamque omnis uno ore Latinos.
XII, 836.

§. 56.

Vergilius quid de deo, mundo, fato senserit.

Poetam non illi superstitioni adhaesisse, qua plebs innumeros deos per omnem naturam diffusos innumerasque de diis deabusque fabulas amplectebatur, vix est quod demonstremus, quum Augusti talis fuerit aetas, qua philosophia Graeca, Epicurea praesertim duce Lucretio, Stoicaque pluribus auctoribus liberius de omnibus Olympi numinibus cogitare eruditiores docuisset, quam de medii aevi miraculis sacrisque narratiunculis politiores, proterviores de religione Christiana hodie iudicare solent. Sed talis enata erat hominum consuetudo seque gerendi ratio, ut sacra quidem publica non negligerent, quippe quibus omne sollemne imperium esset ornatum, in orationibus publice, in sermonibus cum uxoribus liberisque habitis deorum nomina et auctoritatem prae se ferrent, inter philosophandum verum vel cum amicis cultioribus confabulandum veram animi sententiam de uno deo mundano vel de fato omnia regente proderent. Quanta in his fuerit libertas ac paene licentia, Ciceronis scripta, Lucretii, Horatii, Manilii etiam Ovidiique carmina perspicue declarant. Sed talia ex illis poetis eruere satis arduum erit, si non recta via libere quae sentiunt profiteantur. Huc accedit reverentia et pietas quaedam erga religionem omnem antiquam, animo humano insita. Verum, quod interdum quidem fallax, unum est adiumentum, si propositum tetigerimus, firmissimum, ut, quae tacita et quasi velo tecta versibus condita subsunt e singulis verbis sententiisque eliciamus, in quo illud tamen cavendum erit, ne praepostera quadam opinione occupati de poetae mente iam statuerimus, priusquam omnia eius dicta personasque, quarum ori tribuuntur, perpenderimus, vitaeque eius doctrinaeque studia perspexerimus. Quos enim in philosophia habuerit scriptor unusquisque doctores, quos libros legerit, magni sane est momenti.

E grammaticis autem compertum habemus, Vergilium Epicureo quodam magistro usum esse. Audiatur Servius ad VI, 264: »Ex maiore autem parte Sironem i. e. magistrum suum Epicureum sequitur.« ad Eclog. VI, 13: „Nam vult exsequi sectam Epicuream, quam didicerat tam Vergilius quam Varus docente Sirone.« Quae grammatici nostri opinio utrum e meris argutiis sit profecta, an vero fundamento nitatur, iucundum est inquirere. Sed iusto ordine persequamur singulos, qui ad Epicuri placita referuntur, poetae versus, qui ad duo potissimum spectare dicuntur, quorum primum notissimum illud, deos non curare humana. Servius ad Eclog. VIII, 35:

Nec curare deum credis mortalia quemquam.

„Superbia tua damnata est turpi marito, dum credis nullum deorum curare mortalia. Quam rem secundum Stoicos dixit.“ rectius Servius Danielis ad Aen. I, 227. ad Epicureos, sed verus ibidem interpres, quum poeta Iovem appellet *iactantem pectore curas*, argute poeticum sermonem, qui deos semper hominum more tractans e rerum contextu de doloribus curisque loquitur, ad Stoicorum sectam rettulit. At ex illo Eclogarum loco potius ducenda erat poetae sententia, deos revera humanis occupari; vituperium enim inest. In eadem Ecloga VIII, 19: Damon ait:

Divos, quamquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.

Servio ad v. 17. observante secundum Epicureos. Fieri saltem hic potuit, ut poeta talia, quae saepenumero iactabantur dicta, in animo haberet. Denique Dido non sine acerbitate exclamat ab Aenea derelicta IV, 379:

Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat.

Sed hoc a femina dictum ira exagitata. Neque vero consentiendum erit eidem interpreti ad II, 689:

Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis.

„Aut secundum Stoicos locutus est, qui fati adserunt necessitatem, aut secundum Epicureos, qui dicunt deos non curare mortalia.“ II, 405. Cassandra trahebatur

Ad caelum tendens ardentia lumina frustra.

„*frustra* secundum Epicureos.“ II, 515. incumbunt arae

Hic Hecuba et natae nequiquam altaria circum.

„aut *nequiquam* secundum Epicureos, aut propter vim bellicam.« Georg. III, 525:

Quid labor aut benefacta iuvant?

„Nam si generalis sententia est, secundum Epicureos contra religionem est, si autem tantum ad bovem refertur, hoc dicit. Quid ei prodest, labore suo aluisse mortales?“ Talia homo sani iudicii aspernatur. Neque alterum Epicuri placitum, omnem post mortem sensum interire, revera poetae menti ita tribuendum esse videtur, ut tanquam propriam eius sententiam consideremus. Quid? Quum Anchises summo luctu obrutus in verba erumpat II, 646: *Facilis iactura sepulchri.* priorene Servii explicatione utamur: „Aut secundum Epicureos, qui dicunt nihil superesse post mortem?“ Quid? Num Anchisae appellantur V, 81. *recepti requiquam cineres* „secundum Epicureos, qui dicunt omnia perire cum corpore?“ Aut quo poeta fungitur elogio *inani munere* VI, 886: „secundum Epicureos non profuturo?“ Aut VII, 4: *si qua est gloria* Caietae, quum eius nomen loco imponatur: „secundum Epicureos?“ Talia fabellae sunt nugantium. Potius Annam, Didonis sororem, impii et liberioris credam esse animi interrogantem IV, 34:

Id cinerem aut Manis credis curare sepultos?

„Dicit autem secundum Epicureos, qui animam cum corpore dicunt perire.“ Neque quae alibi a Servio de fato VI, 376., de anima X, 487., de voluptate Eclog. II, 58., natura Georg. II, 49., inani Eclog. VI, 31., sole IV, 584. Georg. I, 247., stellis Georg. I, 252. 257., nocte VI, 272., pluribus coelis I, 330. ad Epicuri doctrinam referuntur dicta, maiore auctoritate fulciri possunt. Poeta vix uno alterove loco e longinquo Epicureorum vera decreta tetigit; deorum enim contemptus, qui Mezentii est, e vita potius communi ac fabula, quam e philosophia est delineatus. Huc etiam aliquis possit advocare Lucretii studium hic illic perspicuum; sed verba magis quam sententias e Lucretio Maronem hausisse nemo ignorat. Verum enim vero si haec omnia iusta lance perpenderimus, fatendum tamen erit, poetam ex Epicuri doctrina hic illic aliqua libasse, temporisque illius levia quaedam monimenta restare, quibus in Epicuri hortis demorabatur. Poeta ipse fatetur Cir. init.:

Me vario iactatum laudis amore
Irritaque expertum fallacis praemia volgi
Cecropius suavis exspirans hortulus auras
Florentis viridi Sophiae complectitur umbra.

Multo maiorum tamen quam Lucretii in Vergilium Ennii lectio vim videtur exercuisse, atque qui argutior erit, philosophemata quaedam Pythagorica ex hoc in ipsum redundasse coniiciat. Modo illud magis constaret, Ennium Pythagorae dogmata amplexum esse. Sed hoc illius erit vel demonstrare vel negare, qui de doctrina

Pythagorica apud **Romanos** late **propagata** locum nondum satis tractatum clariore luce augeat. Varro quoque, quem a Vergilio lectum esse ac lectitatum quis negabit, multa de hoc fonte hausit. Ennius animarum saltem migrationem in carmen suum recepit; Tertulliano enim de anim. c. 33 teste: „Pavum se meminit Homerus, Ennio somniante.“ Unde, quam Vergilius VI, 749. habet purgationem et in vitam reductionem ad Pythagoram aliquis voluerit referre. Verum hic non *μετεμψύχωσιν*, sed *παλιγγενεσίαν* credidit, et in illo loco VI, 724—751. tot illius sectae, cui plerique Romanorum addicti erant, vestigia repperimus, ut huius praesertim placita a Marone fuisse adoptata aliquis non iniuria efficiat. Etenim Anchises ait:

Principio caelum ac terras camposque liquentis
Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet.

quibus comparandi sunt versus Georg. IV, 219:

His quidam signis adque haec exempla secuti
Esse apibus partem divinae mentis et haustus
Aetherios dixere; deum namque ire per omnis
Terrasque tractusque maris caelumque profundum.

Quas de **mente** et **materia** secreta, deinde de deo mundano omnia permeante opiniones fuisse Stoicorum, novisti et ex aliis et e Diogene Laert. VII, 134: *Δοκεῖ δ' αὐτοῖς ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον· τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἄποιον οὐσίαν, τὴν ὕλην (molem), τὸ δὲ ποιοῦν τὸν ἐν αὐτῇ λόγον (mens), τὸν θεόν (deum)· τοῦτον γὰρ ὄντα ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἕκαστα.* 139: *Οὕτω δὴ καὶ τὸν ὅλον κόσμον ζῷον (spiritus intus alit) ὄντα καὶ ἔμψυχον καὶ λογικὸν ἔχειν ἡγεμονικὸν μὲν τὸν αἰθέρα (Haustus aetherios).* Pergit Vergilius VI, 728:

Inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
Igneus est ollis vigor et caelestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.

Georg. IV, 223:

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas.

Haec quoque de aethere vitali singula animalia penetrante, **igni**que constante, de *igneo vigore*, ad Stoicae sectae decreta iamdudum ab omnibus adnumerata sunt. Cf. Plutarch. plat. phil. I, 7:

Οἱ Στωικοὶ νοερὸν θεὸν ἀποφαίνονται, πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γενέσει κόσμου, ἐμπεριειληφὸς πάντας τοὺς σπερματικοὺς λόγους, καθ' οὓς ἕκαστα καθ' εἱμαρμένην γίνεται, καὶ πνεῦμα μὲν διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου. E Cicerone multa possunt adferri de iisdem rebus testimonia v. g. Acad. II, 41: »Zenoni et reliquis fere Stoicis Aether videtur summus deus mente praeditus.« N. D. I, 14: »Atque hic idem [Zeno] alio loco aethera deum dicit, si intelligi possit nihil sentiens deus, aliis autem libris rationem quandam per omnem naturam rerum pertinentem vi divina esse adfectam putat.« III, 14: »Omnia Stoici solent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes.« Haec igitur ignea vis, igneus ille vigor seminibus illis rerum, quae Plutarchus pl. ph. I, 7. τοὺς σπερματικοὺς λόγους nominare videtur, communis est tantum, VI, 731:

Quantum non noxia corpora
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.

Nescio an poeta hic quodammodo a regula Stoica, ad quam et ipsa anima corporea erat, deflectat, et Platonicam rationem sequatur, quum corpora tantopere, ut deteriorem nostri partem, secernat. Sed Stoici quoque distinguebant inter illud, quod διαμένει καὶ αὔξάνεται καὶ μειοῦται et inter illud, quod ἀεὶ ῥεῖ καὶ φέρεται μήτ' αὐξόμενον μήτε μειούμενον μήτε ὅλως οἷόν ἐστι διαμένον, distinguebant inter corpus et animam. Sed gravius est, quod ex sensuum corporumque mortalitate oriri dicit poeta VI, 733:

Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, neque auras
Dispiciunt clausae tenebris et carcere caeco.

Quattuor πάθη metum, cupiditatem, dolorem, gaudium hoc loco memorata vides, quibus caecitas et hebetudo omnis humana oriatur. Unde haec doctrina fluxerit, Servius narrat: »Varro et omnes philosophi dicunt, quattuor esse passiones, duas a bonis opinatis et duas a malis opinatis rebus. Nam dolere et timere duae opiniones malae sunt, una praesentis, alia futuri, item gaudere et cupere opiniones bonae sunt, una praesentis, alia futuri.« Verumtamen quum Stoicorum fuerit virtutis quadripartitio φρόνησις, σωφροσύνη, ἀνδρεία, δικαιοσύνη, hanc quoque adfectuum ex ipsis haustam esse, quum omnia cum eorum secta tam mire copulata sint, suspicandum erit. Atque revera eandem invenio apud Diogenem Laertium VII. §. 110: Τῶν δὲ παθῶν τὰ ἀνωτάτω, καθά φησιν Ἑκάτων ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ παθῶν, καὶ Ζήνων ἐν τῷ περὶ παθῶν, εἶναι γένη τέτταρα λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, ἡδονήν. Quorum λύπῃ *dolent*, φόβος, *metuunt*, ἐπιθυμία *cupiunt*, ἡδονῇ

gaudent. Solus dolor et λύπη non omnino quadrant. Suspicor Vergilium suavitatis causa dolent, non lugent dixisse. Quodsi versum ita constituit:

Hinc metuunt, cupiunt, lugent gaudentque

nimio tamen litterae V mugitu aurem laesam fore senties. — Statuebant vero iidem Stoici (Diogen. Laert. VII. §. 117.) ἀπαθῆ εἶναι τὸν σοφόν. Quapropter e nostri sententia illum, qui vitam agrestem quietam et sapientem degit, Georg. II, 495.

Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit — . . . . neque ille
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.

Unde ipsam misericordiam erga inopes ad animi perturbationes aeque ut invidiam in divites vides esse numeratam, Stoicorum more, qui ἔλεον et φθόνον subiecerunt τῇ λύπῃ et definierunt ἔλεον μὲν οὖν εἶναι λύπην ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθοῦντι, φθόνον δὲ λύπην ἐπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς. Diogen. Laert. VII. §. 111., qui §. 123. tradit, τοὺς σοφοὺς ἐλεήμονας μὴ εἶναι. Sapientiam igitur animique quietem inconcussam Maro quoque summum bonum praedicat versibus illis Georg. II, 490:

Felix qui potuit rerum cognoscere caussas,
Adque metus omnis et inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari.

Verumtamen in ea, quam de statu post mortem opinionem tradit VI, 735—751., aliquantum a Stoicorum schola deflectit, atque Platonicam potius sive Pythagoricam, ut ille ab hoc hauserit, sectatus est, statuens, corporum contactu et labe animum humanum semper infici, purgatione igitur animarum opus esse, quae triplici lustratione aere, aqua, igni persolvatur, milleque annis praeterlapsis animas vitae terrenae peractae immemores in corpora reverti. Quod ad Platonem iam alii rettulerunt.

Verum enim vero Stoica Vergilii indoles potissimum in eo est, quod innumeris locis de fato monet. Quod enim illi contenderunt (Diogen. Laert. VII. §. 149.), καθ' εἱμαρμένην τὰ πάντα γίνεσθαι, idem ipsi quoque placuisse manifestum est. Neque poetica solum loquendi formula usus est Maro *inexorabile fatum* appellans, sed intimo animi sensu vim necessitatis cuiusdam naturalis quum in omnibus rebus humanis, tum in morte regnantis non sine horrore videtur percepisse. Inde VIII, 334:

Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum.

VI, 376:

Desine fata deum flecti sperare precando.

X, 113:

Fata viam invenient.

Verum tales loquelae leviores erunt, si non e certa quadam doctrina, sed e poetica tantum facultate oriantur, gravius illud, quod, quum omne carmen Homericum deorum voluntate, summi praesertim numinis iussu monitisque nitatur, vita et actio omnis a Iove semper vigente proficiscatur, Romanus poeta per integram Aeneidem potestatem quandam caecam omnia agentem, moventem diffuserit. Qua factum est, ut qui summum virtutis exemplar prodere debebat Aeneas, quum non sui ipsius animi vigore impellatur, deorum semper numina, fata appellet, iusto debilior et infirmior factus sit, quem vero poeta ipse ut deum contemptorem quasi nota quadam inuri passus est, Turnus vir revera fortis, animosus, qui adversis rebus humanis mentem infractam opponat, evaserit. In universum vero omnia, quae per hoc carmen felici cum successu geruntur, nequaquam hominum arbitrio et nisu fiunt, sed e deorum nutu pendent; quae infelicia, ex humanarum virium contentione oriuntur et conduntur. Quodsi singulorum librorum seriem evolvimus, nonaginta fere locis fatum vel memoratum vel advocatum videmus. Cf. I, 18. 32. 39. 205. 239. 257. 262. 383. 546. II, 13. 34. 54. 121. 194. 246. 257. 294. 433. 738. III, 7. 9. 17. 337. 375. 395. IV, 225. 519. 614. 651. V, 709. 798. VI, 376. 409. 449. 461. 466. 683. 870. 883. VII, 50. 234. 239. 272. 294. 314. 584. 594. VIII, 12. 133. 292. 334. 381. 398. 477. 512. IX, 94. 107. 135. 137. 643. X, 35. 67. 109. 113. 154. 438. 467. 471. 501. 623. sqq. 740. 743. 814. XI, 96. 112. 130. 232. 587. 701. XII, 111. 147. 150. 395. 610. 676. 726. 795. 819. 877 919. Fato enim Troia evertitur, Aeneas Italiam accersitur, Carthagine pellitur, Lavinia coniux ei destinatur, Mezentius, Turnus alii mortem inveniunt, ita ut, quidquid dii hominesque agant, non possint non adimplere fortunam. Quodsi vero quaerimus, unde haec vis emanet, non dubitandum, quin ex ipso deo vel ordine mundano in semetipso concluso omnia certa et fixa via rationeque prodire oporteat, poeta vero vatum more ad ipsos illos deos, quos populus colebat, hominum vicissitudines transtulerit, ad Iovem praesertim, ut III, 375:

Sic fata deum rex
Sortitur, volvitque vices; is vertitur ordo.

IV, 614:

Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret.

Iuppiter Veneri I, 257:

Manent immota tuorum
Fata tibi.

aliis locis ad Parcas e plebis superstitione, ut V, 798:

Si concessa peto, si dant ea moenia Parcae.

Sed haec trita et solita.

Quae singula hic prolata quum in unam quasi imaginem colligere malueris, neque Platonicum, neque Pythagoreum Epicureumve neque ut Horatium Eclecticum poetam nostrum invenies, sed quoad poetae licitum est Stoicae doctrinae sectatorem.

In ipso cultu describendo metus ille deorum, qui quum antiquae, tum Romanae religionis proprius est, ab ipso tantopere receptus est, ut metus et religio inter se commutentur. Ita vocatur laurus VII, 60:

Sacra comam, multosque metu servata per annos.

et antiqua cupressus II, 715.

Religione patrum multos servata per annos.

Horror tribuitur religioni VII, 172:

Horrendum silvis et religione parentum.

VIII, 349:

Iam tum religio pavidos terrebat agrestis
Dira loci.

Superstitionis voce modo de re vana VIII, 187., modo de gravi XII, 817. utitur.

§. 57.

De diis.

Quum maximam fere Aeneae Italiam navigantis munus a poeta significetur, ut *conderet urbem inferretque deos Latio,* non absonum erit a proposito, priusquam res divinae exponantur, numina illa divina, quae per carmen praecipue epicum diffusa sunt, paucis enumerari. *Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα.*

Ivppiter. Anxvr. Dis. Secernendi sunt tales loci, quibus hoc nomine caelum „sublime candens" insignitur, ut Georg. I, 418:

Iuppiter uvidus austris
Densat, erant quae rara modo, et quae densa, relaxat.

Aen. IX, 669:

Quam multa grandine nimbi
In vada praecipitant, cum Iuppiter horridus austris
Torquet aquosam hiemem et caelo cava nubila rumpit.

Ecl. VII, 60:

Iuppiter et laeto descendet plurimus imbri.

Georg. II. 419:

Et iam maturis metuendus Iuppiter uvis.

ab iis, quibus summus ille deum hominumque sator, fati conditor et servator, qualem modo vidimus, adumbratur. Attamen omnia illa lineamenta, quae eius naturam efficiunt, vix differunt a vulgaribus illis solitisque. Fixa enim est in poetarum descriptionibus, quae in tabulis statuisque gravitas expressa, et vultus maiestas. Epithetis ab illis ornatur *magni*, *summi*, *omnipotentis*, *magnanimi*, *aequi*, *feri*, *regis*, ut capillis in fronte horridis, oculis severis, membris fortioribus. Notatu dignius quod triplici praesertim nomine et numine exstat. Primus est XII, 141. *rex aetheris*, X, 18. *hominum rerumque aeterna potestas* X, 101:

Eo dicente deum domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus aether,
Tum Zephyri posuere, premit placida aequora pontus.

Ille est, qui Veneri querenti libro primo *volvens fatorum arcana* movet, Mercurium Carthaginem mittit, ut Poenorum ferocia corda mitiget, qui *ferus omnia Argos transtulit* II. 326., cui centum templa ab Hammone sunt condita IV, 199., qui Mercurium denuo Carthaginem mittit IV, 222., naves a mulieribus Troianis incensas Aeneae precanti imbri misso servat, Anchisemque consilia docentem legat, naves, quibus Turnus deinde ignem iniecerat, in Nympharum corpora mutat IX, 114., deorum concilium convocat X, 1., fatorumque universum ordinem regit.

Secundus est Iuppiter Anxurus. VII, 799:

Circaeumque iugum, quis Iuppiter Anxurus arvis
Praesidet et viridi gaudens Feronia luco.

Servius: »Circa hunc tractum Campaniae colebatur puer Iuppiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἄνευ ξυρᾶς (!) i. e. sine novacula, quia barbam nunquam rasisset et Iuno virgo, quae Feronia dicebatur.“ In numo gentis Vibiae Morelli famil. Tab. 2, II. caput est inscriptum PANSA, altera pars deum iuvenilem sedentem seminudum ostendit, dextra pateram, sinistra sceptrum tenente, capite radiato, inscripta: IOVIS. AXVR. C. VIBIVS. C. F. N. Putarunt quidam, hunc eundem esse, quem Ovidius Fast. III, 437. describit Veiovem:

Iuppiter est iuvenis, iuveniles aspice vultus,
Aspice deinde manum, fulmina nulla tenent.

Attamen quamvis alterum unum adsit signum, quo ad hanc sententiam adduci possis, differentia tamen memorabilis exstat. Teste enim Gellio V, 12: »Simulacrum — Dei Veiovis, quod est in aede [inter arcem et Capitolium], de qua supra dixi, sagittas tenet, quae sunt videlicet paratae ad nocendum. Quapropter enim deum

plerique Apollinem esse dixerunt.« Quod Apollinem crediderunt, huc referre possis radios quoque caput circumdantes; verum non propter radios, sed sagittarum causa, quae manu Veiovis tenuit, Apollo habitus est, in numis vero Iovis Anxuris sagittae desunt. Deest etiam alterum. Etenim Gellius pergit: »Immolaturque illi [Veiovi] ritu humano [Romano?] capra, eiusque animalis figmentum iuxta simulacrum stat.«

Tertius sit Ivppiter Stygivs. Dido magicas artes adhibitura IV, 638:

Sacra Iovi Stygio, quae rite incepta paravi,
Perficerest animus.

Tabella aenea Firmi in agro Picino reperta priore parte inscripta est Grut. LII, 11. Orell. 1265: P. PESCENNIVS. T. F. MIRCVRIO. DONO. DEDIT. MERETO., altera: SACRA. IOVI. STIGIO., lapis Romanus Grut. XXIII, 6. Orell. 1266: GENIO. IOVI. STYGIO. SANCTO. SACRVM. SEX. POMPEIVS. SEX. FIL. OCRIC. CIVICA. MIL. COH. VIII. PRAET. Arnob. II, 70: „Nam si verum est ex Saturno atque eius uxore Iovem suis cum fratribus procreatum, ante nuptias et partus Opis nusquam fuerat Iuppiter, tam supremus, quam Stygius." III, 31: „Ita tollitur et removetur e medio Stygii frater Iovis Olympiique germanus." Augustin. C. D. IV, 11: „Ipse in aethere sit Iuppiter — — in terra Pluto." Hic igitur addere poteris XII, 199:

Vimque deum infernam et duri sacraria Ditis.

VII, 568:

Hic specus horrendum et saevi spiracula Ditis.

in vallibus Ampsanctis, Georg. IV, 468:

Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum.

Aen. VII, 127:

Noctes adque dies patet atri ianua Ditis.

Aeneas *Ditis domos vacuas* (VI, 269.) accedit.

2. Ivno. Feronia. Proserpina. *Iovis et soror et coniunx* I, 46. variis epithetis ornatur, *reginae*, quod in inscriptionibus usitatissimum, *regiae, Saturniae, magnae, omnipotentis.* Ab iis partibus, quas adversus Aeneam agit, vocatur *aspera, atrox, iniqua, saeva, saevissima*, omniumque fere malorum ipsa causa est et auctor, quum fatis semper obstet, ne a Carthagine Italiam Romamque orbis imperium deferatur. Etenim Aeolum movet, ut tempestatem Sicilianam emittat I, 64., ferro accincta Scaeas portas tenet II, 612., Venerem foedere inter Aeneam Didonemque conficiendo fallere

conatur IV, 100., Didoni moriturae Irim mittit IV, 694., eandem ad Iliacas naves feminas seducturam V, 606., bellum irata excitat VII, 319., ipsa geminas Belli portas recludit VII, 621., volnus a Pandaro Turno infligendum avertit IX, 745., in deorum concilio Veneri adversatur X, 62., Iuturnam denique ad foedus confundendum excitat XII, 134. Promittit vero Iuppiter Veneri I, 279. fore ut Iuno Romanos aliquando foveat, atque huc spectat Heleni quoque praeceptum III, 437:

Iunoni magnae primum prece numen adora;
Iunoni cane vota libens dominamque potentem
Supplicibus supera donis.

Graviores ii sunt loci, quibus ἱερατικά inveniuntur vel significantur huius numinis nomina. Teste Minucio Felice Octav. 25: „Iuno nunc Argiva, nunc Samia, nunc Poena.“ Primo advocanda est *Argiva* III, 547:

Iunoni Argivae iussos adolemus honores.

VII, 286:

Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Saeva Iovis coniunx.

Pertinetne huc inscriptio Tiburtina Grut. XXIV, 11. Orell. 1289: IVNONI. ARGEIAE. C. BLANDVS. PROCOS.? Deinde Samia et Poena I, 16: [Karthago]

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo.

ΗΡΑ ΣΑΜΙΩΝ notissima. Vide Müller et Oesterlei artis antiquae monum. I. Tab. II, 8. Quarta *Gabina* VII, 682:

Quique altum Praeneste viri, quique arva Gabinae
Iunonis gelidumque Anienen et roscida rivis
Hernica saxa colunt.

Servius: »Sane illic Iuno religiosissime colitur. Est autem locus (Lips. lucus) haud longe ab urbe.« Templum Iunonis Gabinae vide in Visconti monumenti Gabini della villa Pinciana. Roma 1797. (Sculture della villa Borghese. Vol. III.) Tab. A. Huc vero non pertinet Grut. XXIV, 13: IVNONI. GAVIAE. ALBANAE. SACRVM. Gudius coniiecit GAVINIAE ut MLXIX, 1: VENERI. GABINIAE. ET. ALBANAE. i. e. e lapide Albano et Gabino. Neque lapides IVNONIBVS. GABIABVS. sacrati, de quibus disputavi in Annal. antiquitatis amicorum II. p. 127. Quinta *pronuba* IV, 166:

Prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant signum.

Servius: „quae nubentibus praeest." Ovid. Met. VI, 428:

Non pronuba Iuno
Non Hymenaeus adest, non illi Gratia lectò.

IX, 761. Her. VI, 43:

Non ego sum furtim tibi cognita; pronuba Iuno
Adfuit et sertis tempora vinctus Hymen.

Suspecta est inscriptio Grut. XXV, 3. Orell. 1302: VT. IVNONI. PRONVB. SVAE. VIRG. EREPTAE. PRIM. AEDES. MAR. CONSTRVATVR. Pertinet vero huc Grut. XXIV, 15: IVNONI. IVG. SEX. CALPVRNIVS. cet. Iuno enim iugalis eadem, *cui vincla iugalia curae* Aen. IV, 59. Iuno *Lucina* Ecl. IV, 10:

Casta fave Lucina, tuus iam regnat Apollo.

Georg. IV, 340.

Commemoranda etiam FERONIA. VII, 800:

Viridi gaudens Feronia luco.

Cf. Horat. Sat. I, 5, 24:

Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Milia tum pransi tria repimus atque subimus
Inpositum saxis late candentibus Anxur.

Feronia, quam Dionysii (II, 49.) tempore *Φαρωνίαν* nominarunt, Servio, ut vidimus, teste Iuno virgo, neque est, quod grammaticum errasse contendamus. Habemus enim inscriptionem Fabrett. CCCCLI, 65. Orell. 1314. IVNONI. FERON. BARDIA. (Mus. Veron. LXXX, 2: BARBIA) L. F. SECVN. AEDEM. SIGNVM. PORTICVS. D. S. D., neque obstat, quod in alia invenimus Fabrett. CCCCLII, 66. Orell. 1315: IVNONI. REG. ET. FERONIAE. In hac enim duo epitheta numini particula copulativa adduntur, quod, quamvis rarius sit, his tamen exemplis firmatur Orelli 1248: IOVI. MONITORI. CONSERVATORIQVE. 1341: MARTI. AMICO. ET. CONSENTIENTI. — Memoratu dignum etiam hoc Feroniae monumentum Fabrett. CCCCLIII, 68. Orell. 1313: Q. PESCENN... COLOMNAS. IIII. DE. SVO. DAT. FERONEAE. ET. CREPIDINEM. ANTE. COLOMNAS. EX. LAPIDE. inventum Orellio teste in templo Feroniae apud Trebulam Mutuescam in Sabinis. Liv. I, 30: „Tullus ad Feroniae fanum mercatu frequenti negotiatores Romanos comprehensos querebatur. Sabini suos prius in lucum confugisse ac Romae retentos." Dionys. Halic. III, 32: Ἱερόν ἐστι κοινῇ τιμώμενον ὑπὸ Σαβίνων τε καὶ Λατίνων, ἅγιον ἐν τοῖς πάνυ, θεᾶς Φερωνείας ὀνομαζομένης, ἣν οἱ μεταφράζοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν οἱ μὲν Ἀνθηφόρον, οἱ δὲ Φιλοστέφανον, οἱ δὲ Φερσεφόνην καλοῦσιν.

κ. τ. λ. Lucus Feroniae memoratur etiam in agro Capenate Liv. XXVI, 11. XXVII, 4. Denique iuxta Praeneste sacrarium eiusdem deae fuisse videtur. Evandrus enim VIII, 561. ait:

Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa
Stravi scutorumque incendi victor acervos,
Et regem hac Erulum dextra sub Tartara misi,
Nascenti cui tris animas Feronia mater —
Horrendum dictu — dederat, terna arma movenda.

Iovi Stygio comparanda est Iuno *inferna*, id est, Proserpina. VI, 136:

Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus
Iunoni infernae dictus sacer.

Suspicionem movit viris doctis inscriptio Spon. Misc. p. LXXX. Orell. 1310: IVNONI. STYGIAE. CRESCENTINA. MATRILIA. CVM. FIL. SV. V. S. L. M.

3. Apollo, cuius partes quamvis in Aeneide fere sint nullae, nisi quod III, 94. oraculum edit, IX, 638. Iulum adfatur atque 646. in Buten mutatur — propterea tamen memorabilis, quia subtili quadam erga Augustum adulatione non raro carmini intexitur. Tenendum enim illud, quod Sueton. Octav. 70 narrat: »Coena quoque eius secretior in fabulis fuit, quae vulgo δωδεκάθεος vocabatur, in qua deorum dearumque habitu discubuisse convivas, et ipsum pro Apolline ornatum non Antonii modo epistolae, singulorum nomina amarissime enumerantis, exprobrant, sed et sine auctore notissimi versus — — Acclamatumque est postridie — — Caesarem esse plane Apollinem, sed Tortorem.« Serv. Ecl. IV, 10: »*Apollo* — — et tangit Augustum, cui simulacrum factum est cum Apollinis cunctis insignibus.« Aeneas vero, quum in omnibus rebus Augusti sit exemplar et quasi speculum, non sine certa ratione IV, 143. Apollini comparari videtur:

Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit ac Delum maternam invisit Apollo
Instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretes Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi,
Ipse iugis Cynthi graditur mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens adque inplicat auro,
Tela sonant umeris, haud illo segnior ibat.

Didonem alias Dianae comparatam statim videbimus. In illa vero Apollinis choros instaurantis descriptione insunt cognomina quaedam significata, non illa *magni*, *alti*, *formosi*, *pulchri*, sed *Cynthii*,

ut appellatur Ecl. VI, 3., *criniti*, ut Aen. IX, 638. et inscriptione in Talmensis templi atrio Orell. 855:

INVICTI. VENERANDA. DVCIS. PER. SECVLA. VELLENT. VICTRICES. MVSAE. PALLAS. CRINITVS. APOLLO. LAETA. SERENIFICO. DEFVNDERE. CARMINA. COELO.

deinde *Delii* ut III, 162. innumerisque aliorum scriptorum locis, *Thymbraeus* nominatus III, 85. et Georg. IV, 323., *Grynaeus* Aen. IV. 345. a nemore Gryneo Ecl. VI, 72., *augur* Aen. IV, 376., *Phoebus* 251., quod cognomen in inscriptionibus genuinis non legi perhibetur. Romanam spirant mentem originemque recentiorem duo alia cognomina, prius XI, 785:

Summe deum, sancti custos Soractis Apollo,

quod Plinius N. H. VII, 2. explicat: »Haud procul urbe Roma in Faliscorum agro familiae sunt paucae, quae vocantur Hirpi; hae sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur.« Posterius est *Actii* VIII, 704:

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo.

Servius: „quem postea Actium nominavit Augustus.“ In numis Augusti argenteis Morell. Tab. XV. 31 — 39. Apollinem vides cum lyra et plectro, atque inscriptione IMP. X. vel XI., vel XII et ACT., unum cum templo dei et effigie 40. inscriptum APOLLIN. Cf. Tab. XI. 29—32. E Suetonii Octav. 18. scimus, Augustum, quo celebratior Actiacae victoriae memoria in posterum esset, ludos illic quinquennales instituisse et vetus Apollinis templum ampliasse, ex eodem 29., templum Apollinis in ea parte Palatinae domus excitasse, quam fulmine ictam desiderari a deo haruspices pronuntiarant. Quo spectant illa Aeneae vota VI, 69:

Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum
Instituam, festosque dies de nomine Phoebi.

Servius: »Ut solet, miscet historiam: nam hoc templum in Palatio ab Augusto factum est, sed quia Augustus cohaerat Iulio, qui ab Aenea originem ducit, vult Augustum parentum vota solvisse.« »*Festos dies* ludos Apollinares, qui secundum quosdam bello Punico secundo instituti sunt, secundum alios tempore Sullano ex responso Martiorum fratrum, quorum exstabant Sibyllina responsa.«

4. Diana nullam plane ipsarum rerum gerendarum partem habet, in descriptionibus vero extra causam positis comparationibusque apparet. Poeta nobis virginem I, 315—320. pingit, qualis in

statuis dea videtur, quamvis ipse comparet venatrici Spartanae vel Threissae Harpalyeae:

Namque umeris de more habilem suspenderat arcum,
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis.

Postea 329. Aeneas quoque interrogat, *an Phoebi soror* sit. Dido comparatur Dianae, ut Aeneas Apollini, I, 498:

Qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille secutae
Hinc adque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram
Fert umero, gradiensque deas supereminet omnis.

Vocatur *nemorum cultrix, Latonia virgo* in dulcissima illa Camillae devotione XI, 557. Ex inscriptionibus huc pertinent Fabrett. DCLXXXIX, 106. Orell. 1447: [Um] BRARVM. AC. NEMORVM. INCOLAM. FERARVM. DOMITRICEM. DIANAM. DEAM. VIRGINEM. AVXENTIVS. V. C. VBIQVE. PIVS. SVO. NVMINI. SEDIQVE. RESTITVIT. et illae DIANAE. NEMORENSI. Orell. 1453 — 55. sacratae.

Observes denique IV, 511:

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.

quae VI, 13. 35. X, 537. XI, 566. cet. *Trivia* vocatur. Dianae lucus III, 681. memoratur et ad compitum Anagninum a Livio XXVII, 4. Templum Triviae etiam VII, 778.

5. Mars, cuius *dolos et dulcia furta* poeta Georg. IV, 346., cum Ilia congressum Aen. I, 274. memorat, dubius saepenumero est, utrum deus sit ipse, an bellum vel pugna per deum significata. Talis Georg. II, 283:

Dubius mediis Mars errat in armis.

impius, indomitus, secundus, saevus, durus, adversus, anhelus. Deus ipse describitur XII, 331. non sine magnifico apparatu:

Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, adque furentis
Bella movens inmittit equos; illi aequore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant, gemit ultima pulsu
Thraca pedum, circumque atrae Formidinis ora,
Iraeque Insidiaeque, dei comitatus, aguntur.

Martis comitatum alium habes VIII, 700:

Saevit medio in certamine Mavors
Caelatus ferro, tristesque ex aethere Dirae,
Et scissa gaudens vadit Discordia palla,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

I, 294:

Claudentur Belli portae; Furor impius intus
Saeva sedens super arma et centum vinctus aenis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Cf. Arnob. III, 26: »Non commemorabimus hoc loco deam Lavernam furum, Bellonas, Discordias, Furias.« Suspicor varium illum dei comitatum hic illic artis operibus olim fictum fuisse. Furorem vel Bellum vinctum iam supra commemoravi. Vix constat, an deus IX, 717:

Hic Mars armipotens animum viresque Latinis,
Addidit et stimulos acris sub pectore vertit,
Immisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.

Magis tamen Romanum illum in numis obvium (Millin, mythol. Galler. Tab. XXXIX. nr. 155.) habeto III, 35.

Gradivomque patrem, Geticis qui praesidet arvis.

cui Numam duodecim Salios legisse, e Livio I, 20. notissimum. X, 541:

Arma Serestus
Lecta refert umeris, tibi, rex Gradive, tropaeum.

In inscriptione Grut. LVII, 13: MARTI CIRADINO, Moral. et Orell. 1356. coniecerunt GRADIVO.

6. Venus, Aeneadum, ut Lucretius ait, genitrix, quemadmodum Iuno semper infesta, ita Aeneae propitia est et conservatrix Troianorum. Quum vero gens Iulia per Aeneam eiusque filium Iulum a Venere originem duceret, omnis Veneris laus quasi in Octaviani gentem redundavit, quique modo Romanorum Augustus factus erat, Romanorum fere auctor exhibitus est. Venus Aeneae in ipsa Troiae eversione II, 594. consilia dat, Carthagine obviam fertur I, 314. Veneri Iuppiter futuram Romanorum progeniem gloriamque vaticinatur. Venus Cupidinem pro Ascanio Didoni I, 657. substituit, permittit, ut Dido Aeneae iungatur IV, 107., Neptunum V, 779. alloquitur, ut filio navigaturo secundum se exhibeat, Vulcanum VIII, 372. petit, ut arma Aeneae paret, 608. nato apportat, de ipsius calamitatibus X, 18. apud Iovem conqueritur, Dictamno XII, 411. vulnus sanat. Minoris momenti sunt huius numinis nomina, *alma*, *aurea*, *candida*, *formosa*, *Cytherea*, *Idalia*; at nescio an illud *genetricis*, quod frequentius legitur, quamvis proprie per Aeneidem ad filium referatur, Romanam illam Venerem genetricem, in inscriptionibus numisque obviam, spectet. Denique ne obliviscaris templum Veneris Idaliae V, 759:

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae.

Liv. XXII, 10: »Veneri Erycinae aedem Q. Fabius Maximus dictator vovit, quia ita ex fatalibus libris editum erat, ut is voveret, cuius maximum imperium in civitate esset.« Vide denarium gentis Considiae inscriptum ERVC apud Morellium et Millin. mythol. Gall. Tab. XLVII. nr. 182.

7. Neptvnvs (Georg. I, 12.),

Cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti.

Troiam II, 610. V, 810. a fundamentis evertit, tempestatem Sicilianam I, 132. compescit, Veneri petenti V, 799. pollicetur, se Aeneam conservaturum. Comites eius V, 823:

Et senior Glauci chorus, Inousque Palaemon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis;
Laeva tenet Thetis et Melite Panopeaque virgo,
Nesaee Spioque Thaliaque Cymodoceque.

De Scopa Plinius N. H. XXXVI, 4, 7: »Sed in maxima dignatione Cn. Domitii delubro in circo Flaminio Neptunus ipse et Thetis atque Achilles, Nereides supra delphinos et cete et hippocampos sedentes. Item Tritones chorusque Phorci et pristes ac multa alia marina omnia eiusdem manus, praeclarum opus, etiam si totius vitae fuisset.« Cf. I, 144. Georg. IV, 336—344. Tridens quadrigaeque Neptuno saepius tribuuntur. Vocatur *genitor, pater, Saturnius domitor maris.*

8. Minerva Georg. I, 18. *oleae inventrix*, Aen. II, 31. *innupta* vocatur. Describit poeta VIII, 435:

Aegidaque horriferam, turbatae Palladis arma.

Pallas summas arces insidet *nimbo effulgens et Gorgone saeva*, I, 39. classem Argivorum evertit. Ad exemplum Homeri Troiae eius templum poeta statuit I, 479:

Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis peplumque ferebant.

deinde II, 404., secundum sub Hydrunto III, 531:

Templumque adparet in arce Minervae.

tertium in urbe regis Latini XI, 478., ubi Lavinia virgo una cum matribus eam 483. appellat:

Armipotens, praeses belli, Tritonia virgo.

Simulacrum deae, Palladium, in arce Troiana, correptum a Tydide et Ulixe, II, 175:

Emicuit parmamque ferens hastamque trementem.

9. Mercvrivs VIII, 138:

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenae gelido conceptum vertice fudit.

inde saepenumero *Cyllenius* appellatur, deinde *Maia genitus*, *interpres divom*, ut in inscriptione Romana Orell. 1417:

ΕΡΜΗϹ
LVCRI. REPERTOR. ATQVE. SERMONIS. DATOR
INFAS. PALAESTRAM. PROTVLIT. CYLLENIVS.
. . . .
INTERPRES. DIVVM. CAELI. TERRAEQ. MEATOR
SERMONEM. DOCVI. MORTALES. ATQ. PALAESTRAM.
. . . . . I . . . . . IVSQVE. TERRAE
SERMONIS. DATOR. ATQ. SOMNIORVM
IOVIS. NVNTIVS. ET. PRECVM. MINISTER.

E Graeca ratione ψυχοπομπός est IV, 242:

Tum virgam capit; hac animas ille evocat Orco
Pallentis, alias sub Tartara tristia mittit,
Dat somnos adimitque et lumina morte resignat,
Illa fretus agit ventos et turbida tranat
Nubila.

Carthaginem I, 297. mittitur, ut Poeni Didoque praesertim mansueto erga Aeneam reddantur animo, illic IV, 252. ad Aeneam, ut Didonem deserat.

10. Ceres *alma* vocatur, *flava*, *rubicunda*, *antiqua*, *legifera*. Georg. I, 147:

Prima Ceres ferro mortalis vertere terram
Instituit.

Per Aeneidem nullas adepta est partes. Sed memoratus Troiae II, 713:

Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertae Cereris.

11. Volcanvs, cuius inanem curam Georg. IV, 345. tangit, a Venere rogatus arma Aeneae fabricatur VIII, 440. Vocatur *pater Lemnius*, *ignipotens*, *Mulciber*.

12. Vesta vocatur *potens*, *ardens*, *cana*, *mater* Georg. IV, 498:

Vestaque mater,
Quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas.

Observatum iam est in actis Frat. Arval. Tab. XXXII. (Orell. 1389.) duplicem Vestam distingui: VESTAE (sc. virgini). OVES. II. VESTAE. MATRI. OVES. II. Deinde Hector II, 296:

Manibus vittas Vestamque potentem
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.

Ceterum Vesta saepius una cum Penatibus vel Lare nominatur non solum h. l., sed V, 744:

Pergameumque Larem et canae penetralia Vestae
Farre pio et plena supplex veneratur acerra.

IX, 258:

Per magnos, Nise, Penatis
Assaracique Larem et canae penetralia Vestae.

Macrob. III, 4: „Lavinii rem divinam faciant Penatibus pariter et Vestae."

13. Penates. Quamquam nobis de fontibus Aeneidis disputaturis plura de his erunt exponenda, memorabimus tamen, apud ipsos antiquos magnam de horum numinum natura numeroque dissensionem exstitisse. Nigidius et Cornelius Labeo eos Neptunum esse atque Apollinem prodiderunt (Arnob. III, 40. Macrob. III, 4.). Qui de numero saltem conveniunt cum artis operibus nobis ex antiquitate servatis. Ubique enim duo tantum numero conspiciuntur. Ita in pictura de somnio, quo Aeneae Penates apparent (Aen. III, 148.), Vaticana apud Millin. mythol. Galler. Tab. CLXXVI. nr. 645* duae astant effigies velatae (Aen. III, 174: *velatasque comas*). In numo gentis Sulpiciae Morelli Tab. II, 3. duo sunt A. capita coronata cum inscriptione D. P. P. (i. e. Dii Penates), gentis Antiae 2, A. duo capita redimita inscripta DII. PENATES. Cf. Klausen. Aeneas Vol. II. Tab. 3. Dionys. Halic. I. 68. de simulacris in Penatium templo Romano haud procul a foro sito haec narrat: *Εἰσὶ δὲ νεανίαι δύο καθήμενοι, δόρατα διειληφότες, τῆς παλαιᾶς ἔργα τέχνης* [Varro rer. human. II. (Serv. Aen. III, 148.) quaedam lignea vel lapidea sigilla]. *Πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἐν ἱεροῖς ἀρχαίοις εἴδωλα τῶν θεῶν τοιούτων ἐθεασάμεθα, καὶ ἐν ἅπασι νεανίσκοι δύο στρατιωτικὰ σχήματα φαίνονται ἔχοντες.* Penates, quos Aeneas iussu Hectoris (Aen. II, 293.) secum portat, ipsi in somnis apparent III, 148., epulis V, 62. adhibentur, ab Aenea terra Italia cognita salutantur VII, 121:

Vosque, ait, o fidi Troiae salvete Penates.

A quibus differe videntur Magni Dii, qui vocantur. Macrobius quidem III, 4., quod Cassius Hemina dixerat, Samothracas deos eosdemque Romanorum Penates proprie dici *θεοὺς μεγάλους, θεοὺς χρηστούς, θεοὺς δυνατούς*, in illa locutione III, 12: *Penatibus et magnis Dis* Penates et Magnos Deos eosdem esse arbitratus est. Sane ipse poeta IX, 258. *magnos* appellavit *Penates*. Sed aliud est *magni Penates*, et aliud *Penates et Magni Dii*. Magnos Deos quattuor illos, qui Troiam II, 610—618. evertunt, Neptunum, Iuno-

nem, Minervam, Iovem esse puto, qui 623: *numina magna deum* appellantur. Iuno III, 437. magna nominatur.

14. Liber. Bacchus. Primum ii loci sunt reiiciendi, in quibus hoc nomine vinum ipsum significatur, qualium copia satis ampla in Georgicis. Ille nos vocat VI, 806:

Qui pampineis victor iuga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysae de vertice tigris.

Georg. I, 9:

Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.

Aen. I, 734:

Adsit laetitiae Bacchus dator.

Georg. II, 4:

Huc pater o Lenaee.

PATER in inscriptionibus quoque appellatur Orell. 1485: DEO. SANCTO. NVMINI. DEO. MAGNO. LIBERO. PATRI . . . . 1487: SIG. LIB. PATRIS. ET. SILVANI. II, 380:

Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
Versibus incomptis ludunt risuque soluto,
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Hic quoque ut innumeris locis Maroni Varro auctor fuisse videtur, qui Augustino C. D. VII, 21. teste „in Italiae compitis quaedam dicit sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in eius honorem pudenda virilia colerentur — — In oppido autem Lavinio uni Libero totus mensis tribuebatur, cuius diebus omnes verbis flagitiosissimis uterentur, donec illud membrum per forum transvectum esset atque in loco suo quiesceret.“ Ceterum hic deus per Aeneidem non nisi tertias partes descriptionum ornandarum causa agit. Aequali fere ratione

15. Cybele. Roma VI, 785:

Felix prole virum, qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Laeta deum partu, centum complexa nepotes
Omnis caelicolas, omnis supera alta tenentis.

X, 252:

Alma parens Idaea deum, cui Dindyma cordi
Turrigeraeque urbes biiugique ad frena leones.

Vocatur IX, 82:

Genetrix Berecyntia,

IX, 619. mater Idaea, ut Orelli 1896: MATRIS. DEVM. MAGNAE.

IDEAE. PALATINAE. EIVSDEMQVE. RELIGIONIS. APPARITOR. CAIVS. IANVARIVS.

16. SABINVS. SATVRNVS *aureus*, *senex*, *pater*, est Pici Aen. VII, 49. Notissimam de aurea aetate fabulam narrat VIII, 319—325., eumque urbem prope Romam condidisse VIII, 355:

Haec duo praeterea disiectis oppida muris,
Reliquias veterum videsque monumenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Cf. Varro L. L. V. §. 42: »Antiquum oppidum in hoc [monte Saturnio] fuisse Saturnia scribitur. Eius vestigia etiam nunc manent tria, quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quam Iunius scribit ibi, quam nunc vocant Pandanam; quod post aedem Saturni in aedificiorum legibus privatis parietes POSTICI MVRI sunt scripti.« Saturni imagini falx addebatur; hinc Georg. II, 406:

Rusticus et curvo Saturni dente relictam
Persequitur vitem attondens fingitque putando.

Hinc videantur in errorem induci, qui VII, 178—180. quattuor terrae Saturniae antiquae reges, non duos nominari contendunt:

Antiqua e cedro, Italus que pater que Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnus que senex Ianique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges.

Difficultas enim in eo est, quod, qui appellatur rex nomine Sabinus, quum aliunde non sit notus, eodem insigni falcis praeditus est, vitisatorque appellatur, qua eadem appellatione Saturnus interdum insignitur v. g. Arnob. III, 29: „Atque ita ex ordine tolletur et iste caelestium, quem esse editum patre, magnorum esse procreatorem Deorum, vitisatorem, falciferum vetustas edidit prisca et minorum transmisit aetati.“ Quae difficultas ita eruenda videri poterit, ut putes παραλληλισμόν, quem vocant, a Vergilio esse institutum, quo *pater Sabinus* sit *Saturnus senex*, *pater Italus* sit *Iani bifrontis imago*. Obloquitur tamen primo particula *que* quater repetita, ita ut quattuor diversos reges haberi pateat, obloquitur, quod originem Sabinum non videas, unde Saturno tribuatur, qui universae Italiae rex fuerit, obloquitur denique, quod regem quendam Italum revera a quibusdam fictum non ignoramus. Quod enim Graeci fecerunt mythographi vel etymologi, ut Persas a Perseo, Medos a Medea, Iones ab Ione quodam ducerent, idem Latini, ita ut populi uniciusque heroem indigenam vindicarent auctorem. Talem nomini populoque Italorum finxerunt Italum. Cf. Paullus ex Festo:

„Italia — — ab Italo rege.“ Serv. Aen. I, 2: „Italus enim rex Siculorum profectus de Sicilia venit ad loca, quae sunt iuxta Tiberim et ex nomine suo appellavit Italiam.“ idem I, 533: „Italus rex Siciliae ad eam partem venit, in qua regnavit Turnus, quam a suo nomine appellavit Italiam.“ Ab Lucerensibus finxerunt Ardeae regem Lucerum (Paullus ex Festo.). Eadem ratione populo Sabinorum patrem quendam Sabum praefecerunt. Servio enim Danielis Aen. VIII, 638. teste: „Hyginus ait de origine urbium Italicarum, a Sabo, qui de Perside Lacedaemonios transiens ad Italiam venit et expulsis Siculis tenuit loca, quae Sabini habent — — Cato autem et Gellius a Sabo Lacedaemonio trahere eos originem referunt.“ Talem etymologiam sectatus Vergilius vel e suo, vel ex aliorum historicorum ingenio regem aliquem Sabinum eiusque imaginem in Pici regia condidit. Cf. Isidor. IX, 2, 85: „Italus quoque et Sabinus et Sicanus fratres fuerunt, ex quibus nomina populis imposita et regionibus sunt. Nam ab Italo Itali, a Sabino Sabini, a Sicano Sicani cognominati sunt.“ Insigne ei falcis tribuit poeta, non propter agriculturam, ut Saturno (Augustin. C. D. VII, 19.), quem a sationibus quidam derivarunt, sed propter vitium curam; neque Sabinus falcem manu tenet, ut Saturnus, sed sub imagine expressam habet, qua nescio quod ξόανον Vergilius spectavit.

17. Ianvs *pater, bifrons* appellatur, *custos* templi Martii VII, 610., Ianiculum condidit VIII, 358.

18. Picvs filius Saturni VII, 48. Quemadmodum Itali regi Italo, Sabini regi Sabo vel Sabino, ita Picentes regi Pico originem dedisse videntur, cuius rei vestigia non supersunt. Coniunxerunt enim regem illum cum avi pico, in quam a Circe adamatum mutatum esse ferunt. Imaginem describit Vergilius VII, 187:

Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea laevaque ancile gerebat
Picus equum domitor, quem capta cupidine coniunx
Aurea percussum virga versumque venenis
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.

Servius: »Hoc autem ideo fingitur, quia augur fuit, et domi habuit picum, per quem futura noscebat, quod pontificales indicant libri. Bene autem supra huic lituum dedit, quod est augurum proprium. Nam ancile et trabea communia sunt cum Diali vel Martiali sacerdote.“ Isidor. orig. XII, 7, 47: „Picus a Pico Saturnio filio nomen sumpsit, eo quod eo in auspiciis utebatur. Nam ferunt hanc avem quiddam habere divinum . . . .“ Sed Festus: „Picum avem quidam dictum putant a Pico rege Aboriginum, quod solitus sit . . .“

19. Faunus filius Pici, VII, 48, uxor Nymphae Marciae, quum alii Faunae Fatuae dicerent, pater regis Latini silvicola, vetus, fatidicus appellatur. Oraculum eius ad Tiburtinos montes Latinus consulit pellibus stratis per noctem incubando, de quo poetam VII, 81—103. legas. Aliis locis v. g. Georg. I, 10. Ecl. VI, 27. plures Faunos statuit.

20. Genius. Augustinus teste C. D. VII, 2: „Has certe deos selectos Varro unius libri contextione commendat, Ianum, Iovem, Saturnum, Genium cet.“ VII, 12: „Quid est Genius? Deus est, inquit, qui praepositus est ac vim habet omnium rerum gignendarum — — alio loco Genium dicit esse uniuscuiusque animum esse rationalem et ideo esse singulos singulorum — — Hic est igitur quem appellant Iovem. Nam si omnis Genius deus et omnis viri animus Genius, sequitur ut sit omnis viri animus deus.“ Hic Genius, quem duplicem antiqui Romani sibi cogitarunt, dii hominis appellabantur, ut apud Festum (s. v. plorare) videmus: „In regis Romuli et Tatii legibus: SI. NVRVS. SACRA. DIVIS. PARENTVM. ESTOD. in Ser. Tullii haec est: SI. PARENTVM. PVER. VERBERIT. AST. OLLE. PLORASSIT. PAREN (sic). PVER. DIVIS. PARENTVM. SACER. ESTOD.“ Divi parentum plane dictum, ut apud Maronem XII, 539:

Nec di texere Cupencum
Aenea veniente sui.

IX, 184:

Dine hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido?

cui loco nescio quid liberioris de diis sentiendi rationis inest. Possit etiam aliquis *Di* ita interpretari, ut deos in universum, non singuli uniuscuiusque dictum putet. Ut vero viri tutelarem deum Genium colebant, ita feminae Iunonem suam vel Iunones. Cf. Plin. N. H. II, 5: „Quamobrem maior caelitum populus etiam quam hominum intelligi potest, quum singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciant, Iunones Geniosque adoptandi sibi.“ Orell. 1328: IVNONI. TYCHES. IVLIAE. AVGVSTAE. VENER. Grut. XXV, 11: IVNONIBVS. IVLIAE. ET. SEXTILIAE. Quapropter huc pertinere videntur Aen. IV, 610:

Et di morientis Elissae.

Genium vero non solum hominum, sed loci Romana credidit superstitio, ad quam explicandi sunt versus VII, 136:

Geniumque loci primamque deorum,
Tellurem Nymphasque et adhuc ignota precatur
Flumina.

VIII, 31:

Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno . . . .

Denique notatu dignissima est visio V, 84. narrata Aeneae, quum exsequiis Anchisae peractis pocula tumulo imposuisset, rosas iniecisset, anguis subito apparet coloribus fulgens;

Tandem inter pateras et levia pocula serpens
Libavitque dapes rursusque innoxius imo
Successit tumulo et depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus Geniumne loci famulumne parentis
Esse putet . . . .

Nonne mirum, anguem hoc loco Aeneae non prodigium esse visum, quum apud Ovidium Fast. II, 711:

Ecce, nefas visu, mediis altaribus anguis
Exit, et exstinctis ignibus exta rapit.

et Liv. XXV, 16: „Graccho, priusquam ex Lucanis moveret, sacrificanti triste prodigium factum est. Ad exta sacrificio perpetrato angues duo ex occulto allapsi edere iecur conspectique repente ex oculis abierunt. Id quum haruspicum monitu sacrificium instauraretur atque intentius exta reservata servarentur, iterum ac tertium venisse tradunt libatoque iecinore intactos angues abiisse. Quum haruspices ad imperatorem id pertinere prodigium praemonuissent et ab occultis cavendum hominibus consultisque, nulla tamen providentia fatum imminens moveri potuit.“ Verumtamen in his prodigiis aliquid sane infausti inest, quum apud Ovidium anguis non solum ignes exstinguat, sed exta etiam rapiat, non libet. Apud Vergilium non perturbat aram, sed innoxius recedit. Apud Livium non magnam quidem differentiam invenies, nisi quod duo sint iecurque comedant; sed illud tamen spectes talia ex haruspicum lubidine modo in bonum, modo in malum exitum potuisse explicari. In bonum vertit Aeneas, quum Genius loci a Romanis anguium specie coleretur et praesens quasi deus ipsum sacrificium propitius accipere videretur. Servius ad v. 85: »Nullus enim locus sine Genio est, qui per anguem plerumque ostenditur. Persius (I, 113.): Pingue duos angues, puer, i, sacer est locus.“ Iulius Valerius rer. gestar. Alexandri Maced. lib. I, 29: „Sepulchro autem draconis illius iam perfecto, cum trabes quaedam, qua ad gressum eius columnas impresserat, casu repentino corruisset dissiluissetque, angues conplusculi indidem emersisse sunt visi, hique reptabundi, prout cuique ad lubentiam impetus fuit, constructarum domuum penitralia invasere. Quod cum ipsum quoque terribile admodum vi-

deretur, non cunctanter arioli pronunciavere, hos quoque daemonas et praesules locorum esse, domibusque singulis colendos pro diis Penatibus tradi oportere. Eiusque mos vivit et adhuc Alexandriae religiosus est sub Penatium deorum honore.“ Consentit tabula Herculanensis in Pitture antiche d'Ercolano. Tom. I. Tab. 37. nr. 2., ubi anguis circa aram rotundam volvitur, capite supra hanc elato fruges in ipsa positas libat. Adest puer ad dextram nudus ramum manu gestans, ad sinistram inscriptio: GENIVS. HVIVS. LOCI. MONIIS (sic). In opere caelato Lucceii Pecuiliaris in Millin. mythol. Galler. Tab. XXXVIII. nr. 139. GENIVS (thea) TRI per anguem erectum significatur. In aedibus quoque Pompeianis inter penates tales angues saepenumero picti esse dicuntur. Anguis libans in Museo Borbonico. Vol. XI. Tab. 38. Cf. Monumenti inediti dell' instituto archeolog. 1839. Tab. 6. In lapide quoque (e Boissardi antiq. IV. p. 137. desumpto) Grut. CVI, 5. (CVII, 7.) conscripto: GENIO. AVGG. LAR. SAL. FORTVNATVS. AVG. LIB. anguis spirosus in tripode sibilat. Ceterum Genio loci magnam in terra Rhenana inscriptionum copiam dicatarum habes. Vide Centralm. I, 4. 5. II, 9. 10. 25. III, 89.

21. Tellvs. Augustin. C. D. VII, 23: »[Varro inquit] a vi feminina dictam esse Tellurem, a masculina Tellumonem. Cur ergo pontifices, ut ipse indicat, additis quoque aliis duobus, quattuor diis faciunt rem divinam, Telluri, Tellumoni, Altori, Rusori?« IV, 166:

Prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant signum.

Aeneas Italia occupata VII, 136:

Geniumque loci primamque deorum
Tellurem . . . precatur.

XII, 176. Solem et Terram ad foedus feriendum invocat, Latinus XII, 197: *Terram, Mare, Sidera.* Terra IV, 178. *parens,* VI, 595. *omniparens* materque Famae et Tityonis vocatur.

22. Flvmina. Aeneas VII, 137:

Tellurem Nymphasque et adhuc ignota precatur
Flumina.

idem XII, 181. foedus iurans *Fontisque Fluviosque* vocat. Eidem VIII, 31:

Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus; eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus et crinis umbrosa tegebat harundo.

(Vide Millin. mythol. Galler. Tab. LXXIV. nr. 308. Nibby Museo Capitolino. Vol. I. Piazza. Tab. 12.) Servius: »Bene *Tiberinus,*

in κοινολεξίᾳ Tiberis, in poemate Thybris vocatur.« Quapropter in formulis semper sacrorum Tiberinus, non Tiberis, nominatur. Cf. Liv. II, 10: TIBERINE, te sancte precor, haec arma et hunc militem propitio flumine accipias.« Ennius

Teque, PATER TIBERINE, tuo cum flumine sancto.

Verg. Georg. IV, 369: *Unde pater Tiberinus.* Aen. IX, 125. VI, 874. VII, 797. Servius ad Aen. VIII, 72: »Sic enim invocatur in precibus: ADESTO. TIBERINE. CVM. TVIS. VNDIS.« Kalendar. Amiternin. December: DEO. TIBERINO. IN. INSVLA. TIBERINA. Orelli 1054. 4946. Fabrett. CCCCXXXII, 6. Apud Vergilium tamen interdum (VII, 64. 72. X, 421.) poetica dictione Thybris vocatur. Ab Aenea appellatur VIII, 77:

Corniger Hesperidum Fluvius regnator aquarum.

ut Orell. 1054: TIBERINO. PATRI. AQVARVM. OMNIVM. Praeter hunc alia etiam flumina v. g. VIII, 711:

Magno maerentem corpore Nilum
Pandentemque sinus et tota veste vocantem
Caeruleum in gremium.

(Vide Nibby Museo Capitolino. Pol. Piazza. Tab. 11. Millin. mytholog. Galler. Tab. LXXIV. nr. 304. LXXVIII. nr. 305. 306., vada sacra Numici cet. possim commemorare, quae propter rationem brevitatis et temporis praetermitto.

23. Nymphae. Cetera Nvmina. Antiqua mythologia, Romana praesertim cum Graeca iam mixta tantopere divinis numinibus abundat, ut omnes rite enumerari posse desperes. Ad haec pertinent VIII, 71:

Nymphae, Laurentes nymphae, genus amnibus unde est,

inter eas Iuturna, quae ut Varro rerum divinarum XIII. ait, inter proprios deos nymphasque ponitur (Serv. Dan. Aen. XII, 139.), *Dryadesque puellae* (Georg I, 11.), Georg I, 21:

Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri.

porro Aeolus — quam diversus hic ab Homerico! — Oceanus, Portunus, Palaemon, Melicertès, Mare et quaecunque Georg. IV, 366—344. maris Nymphae enumerantur, Sol, Luna, Sidera, Hiems, Zephyri, Nox, divus Laurens XII, 769., Penates, *quos colit hospes Acestes* V, 63., Mors, Letum, Curae, Morbi, Fames, Egestas, Labos, Sapor, Senectus, Bellum, Furor, Discordia, Fides cet. Tangenda tantum VIII, 698:

Omnigenumque deum monstra et latrator Anubis.

ut, quae in religionem aevi Augustei inrepserant numina, cuncta a poeta nostro recepta videas.

Hi vero dii quum partim sint notissimi, partim imago quaedam et quasi simulacrum non possit delineari, satius erit, eos tantum tangi, ut, quae ampliorem fructum Romanis antiquitatibus pollicentur, tractemus.

§. 58.

De templis, silvis, arboribus sacris.

Loca sacra muris saepta a Vergilio vel templa vel delubra promiscue puto esse nominata, neque adsentiendum esse Macrobio III, 4., qui nimio studio in posteriore voce adhibenda arcana quaedam esse intelligenda contendit. Quum enim Varro VIII. rerum divinarum dixisset, delubrum alios existimare, in quo praeter aedem sit area adsumta deum causa, alios, in quo loco dei simulacrum dedicatum sit, argutius efficere vult, Vergilium variis locis utramque rationem exsequutum esse. Illud autem concedi poterit, partes quasdam templorum hic illic a Marone quasi in transitu leviter attingi. Interiora enim adyta vel adyta penetralia nominat (v. g. II, 297. 351. 404. 764.), praecipue vero loca, quibus oracula edebantur, v. g. II, 114:

Suspensi Eurypylum scitantem oracula Phoebi
Mittimus, isque adytis haec tristia dicta reportat.

in Delo insula III, 92:

Mugire adytis cortina reclusis.

Canit VI, 98:

Talibus ex adyto dictis Cymaea Sibylla.

Latinum VII, 269:

Non patrio ex adyto sortes, non plurima caelo
Monstra sinunt.

Huc *asylum* quoque *Iunonis* II, 761. pertinet. Dido residet I, 505:

Tum foribus divae media testudine templi.

ubi Servius: „Camera incurva, quae secundum eos, qui scripserunt de ratione templorum, ideo sic fit, ut simulacro caeli imaginem reddat, quod constat esse convexum.“ Rationem etiam suorum temporum vel illorum saltem templorum, quae in itineribus suis conspexerat, servavit in omni eorum architectura, plane ut pictores medii aevi, qui tabulas historiae sacrae elaborantes ecclesias stilo Teutonico vel Romanico, quem vocant, aedificatas in Hierosolymam transferunt. Structa vel construenda dicuntur templa *saxo vetusto* III, 84., *de marmore* Georg. III, 13. Aen. IV, 457., *solido de marmore* VI, 69., *centum sublime columnis* VII, 170., *in arce* III,

531. cum aereis gradibus, trabibus, foribus, cardinibus I, 448., *aurea tecta* VI, 13. cet. Quibus numinibus dedicata sint, supra iam §. 57. enumeravimus.

E locis vero religiosis magnam dignitatem habent nemora sacra, quorum crebra apud nostrum fit mentio. Lucus Iunoni sacer Carthagine I, 441:

Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,
Quo primum iactati undis et turbine Poeni
Effodere loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi . . . . . .

Eadem VII, 800:

Viridi gaudens Feronia luco.

In Capitolio VIII, 351:

Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem
Quis deus incertumst, habitat deus; Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iovem, cum saepe nigrantem
Aegida concuteret dextra nimbosque cieret.

Ad arbores numinibus dicatas referendae sunt III, 680:

Aeriae quercus, aut coniferae cyparissi,
. . . . *silva alta Iovis, lucusve Dianae.*

Sed *lucus Iovis* Olympicus Georg. III, 181., Idaeus Aen. IX, 673., *Triviae luci* Aen. VI, 13. VII, 778. memorantur, lucus, ut videtur, Ditis et Proserpinae VI, 256. 259., Ditis VII, 568., Silvani VIII, 597:

Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
Religione patrum late sacer, undique colles
Inclusere cavi et nigra nemus abiete cingunt.
Silvano famast veteris sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque.

Mater Deum Berecyntia ad Iovem queritur VIII, 85:

Pinea silva mihi, multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis.

Luco parentis Pilumni Turnus IX, 3. sedet. Lucus est Herculis VIII, 104. 125., lucus Nymphae alicuius vel Cereris IX, 584., Egeriae VII, 763., Fauni *sub alta Albunea* VII, 82., *saltus Dryadum* Georg. III, 40., Faunorum Nympharumque VIII, 314., Palis Cul. 22. Adde VIII, 342:

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Rettulit.

collato Livio I, 8: »Locum, qui nunc saeptus descendentibus inter duos lucos est, asylum aperit.« Denique ad Buthrotum III, 302:

Ante urbem, in luco falsi Simoentis ad undam
Libabat cineri Andromache.

quem igitur Hectoris Manibus dicatum fuisse statuemus ut V, 760:

Tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.

Herculis ad aram maximam VIII, 104: *Ante urbem.*

Verum non integrae solum silvae, sed singulae etiam arbores apud antiquos diis erant sacratae. Ita ante urbem Troiam erat templum vetustum II, 714:

Desertae Cereris iuxtaque antiqua cupressus
Religione patrum multos servata per annos.

Cf. Plin. N. H. XVI, 86: „Fuit cum ea [loto in Vulcanali] cupressus aequalis [i. e. aequaeva Urbi], circa suprema Neronis principis prolapsa atque neglecta. 87. Vetustior autem Urbe in Vaticano ilex, in qua titulus aereis litteris Etruscis, religione arborem iam tum dignam fuisse significat.« 88: »Iuxta urbem [Ilium] autem quercus in Ili tumulo tunc satae dicuntur, quum coepit Ilium vocari.« Priamo II, 512:

Aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe
Ingens ara fuit iuxtaque veterrima laurus,
Incumbens arae atque umbra conplexa Penatis.

regi Latino VII, 59:

Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam multosque metu servata per annos,
Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus.

Aedes mediae, tecti medium sine dubio compluvium significant, quo tales arbores Romani colere solebant. Suetonius de Augusto c. 92. narrat: »Enatam inter iuncturas lapidum ante domum suam palmam in compluvium deorum Penatium transtulit, utque coalesceret, magnopere curavit.« Cf. Stat. silv. I, 3, 59:

Quid te, quae mediis servata penatibus, arbor,
Tecta per et postes liquidas emergis in auras,
Quo non sub domino saevas passura bipinnis?

Fauno etiam dicata arbor XII, 766:

Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo et votas suspendere vestes.

Poetam tale quid spectasse arbitror, quale Plinius N. H. XVII,

76, 2. narrat: »Megaris diu stetit oleaster in foro, cui viri fortes adfixerant arma.« Huc fortasse revocanda erit ulmus inferna VI, 282:

In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens, quam sedem Somnia volgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.

Aliae etiam singulae arbores sacrae Romae colebantur v. g. sacrae myrti duae ante aedem Quirini teste Plin. N. H. XV, 36. Cf. XV, 20: »Colitur ficus arbor in foro ipso ac Comitio Romae nata, sacro fulguribus ibi conditis — — Fuit et ante Saturni aedem.« Arborem in templo Dianae prope Ariciam memorat Servius ad Aen. VI, 136. Singulae etiam arbores varii generis in monumentis artis antiquae ad loci alicuius sanctitatem indicandam frequentissimae sunt. Vide tabellam Bonnae inventam in Annalibus Rhenanorum antiquitatis amicorum. 1843. Vol. III. Tab. 4.

De ramo aureo VI, 136—144. Proserpinae sacrando, semper renascente, in limine 636. figendo nihil habeo certi, quod adferam. Alii ramum ἱκετείας, alii lustralem, alii viscum album esse opinati sunt. Symbolici quid subesse reor.

§. 59.

De aris.

Pauca de aris sive altaribus erunt dicenda, quum praeter earum usum forma nequaquam appareat. Memoratu tamen dignae *arae gramineae* XII, 119., de quibus iam supra disseruimus. Poenus apud Sil. IV, 703:

Gramineas undis statuit socialibus aras.

Interdum etiam ara usurpatur in exsequiis, ut in Miseni funere VI, 177:

Haud mora, festinant flentes, aramque sepulchri
Congerere arboribus caeloque educere certant.

Quamvis h. l. de pyra possis accipere. Certior tamen eadem est observatio de Polydori funere instaurato III, 63:

Aggeritur tumulo tellus, stant Manibus arae,
Caeruleis maestae vittis atraque cupresso.

Anchisae V, 48:

Maestasque sacravimus aras.

Tacit. Annal. III, 2: Obvii et victimas atque aras diis Manibus statuentes lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur.« Quae non minus in inscriptionibus exstat v. g. Orell. 4521: ME-

MORIAE. L. ALFI. SEVERIAN. VI. VIR. ET. AVG. ARA M. D. S. P. R. ALFIVS. HILARIS. 4522: APLASIA. L. F. PAVLLINA. ARAS. TRES. SIBI. ET. Q. CORRIO. ANTIQVO. VIRO. SVO. ET. Q. CORRIAE. Q. F. PAVLLINAE. FILIAE. SVAE. TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT. MACERIA. CIRCVNDATA. Cenotaph. Pisan. L. Caesaris: VTI. LOCVS. ANTE. EAM. ARAM. QVO. EA. STRVES. CONGERANTVR. COMPONANTVR. PATEAT . . . . CIPPOQVE. GRANDI. SECVNDVM. ARAM. DEFIXSO. Geminae praesertim diis Manibus erigebantur. Ita Andromache Hectori III, 305:

Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.

Eclog. V, 66:

Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.

ubi, cur Phoebo quoque duo altaria se positurum dicat, iam antiqui quaesiverunt. Videtur poeta *παραλληλισμόν* illum ea ratione concessisse, ut Daphnis quasi Daphne quaedam existat cum Apolline coniunctior.

Arae vero numinum variis modis ornabantur, ramis floribusque tegebantur. Aeneas virgulta convellere III, 25:

Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras.

Cf. V, 661. Veneri in Papho insula I, 417:

Ture calent arae sertisque recentibus halant.

deinde vittis. Eclog. VIII, 64:

Effer aquam et molli cinge haec altaria vitta.

Qui rami, quae serta vittaeque in monumentis quoque obvia sunt, v. g. Millin mythol. Gall. Tab. XXXI. nr. 107. Tab. LXXXIX. nr. 290. Sculture della villa Borghese. Vol. I. Stanza I. nr. 13.

Arae ipsae in iuramentis tangebantur vel tenebantur, unde Latinus XII, 201:

Tango aras, medios ignis et numina testor.

Cf. Plaut. Rud. V, 2, 46: »Tange aram hanc Veneris. — Tango. — Per Venerem hanc iurandum est tibi.« Cic. Flacc. 36, 90: »Ergo is, cui, si aram tenens iuraret, crederet nemo, per epistolam, quod volet, iniuratus probabit?« (Ceterum iuratur apud Vergilium per caput amici vel amicae IV, 493. IX, 300., per deos IV, 492. VI, 459. XII, 197. Cir. 244., per sidera VI, 458. XII, 197., per maria VI, 351. XII, 197., per fata Aeneae dextramque potentem VII, 234., per fidem subterraneam VI, 459., a diis per Stygiam paludem VI, 323. IX. 104. X, 113.) Aliis in locis non iurandi causa, sed obtestandi tantum et precandi positum esse videtur, ut Iarban IV, 219:

Talibus orantem dictis arasque tenentem
Audiit omnipotens.

Aeneas Sibyllam VI, 124:

Talibus orabat dictis arasque tenebat.

Cf. Macrob. III, 2: „Multifariam enim legimus, quod litare sola non possit oratio, nisi et is, qui deos precatur, etiam aram manibus apprehendat; inde Varro divinarum libro quinto dicit, aras primum asas dictas, quod esset necessarium, a sacrificantibus eas teneri." Etiam Hecuba nataeque circa altaria II, 517:

Condensae et divom amplexae simulacra sedebant.

Violari poterant arae e sensu Romano variis modis, ante omnia sanguine humano vel prodigioso. Scelus itaque maximum Pyrrhi significatur, qui II, 550. Priamum *altaria ad ipsa trementem traxit* et occidit. Cf. II, 501:

Vidi Hecubam centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignis.

663. Sanguis Polydori III, 28. 199. visus aras et sacrificia maculat. Orestes Aegisthum III, 332:

Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.

Violabantur deinde spoliatione earum rerum, quae ad apparatum ornatumque sacrum pertinuerunt. Mulieres Troianae V, 661:

Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem,
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Coniciunt.

XII, 283:

Diripuere aras — —
Craterasque focosque ferunt.

Addendum huic loco videtur, quod ad aram etiam, ad rem sacram focus pertinet, ut XII, 118. parant:

In medioque focos et dis communibus aras.

III, 178:

Munera libo
Intemerata focis.

Teste Servio aucto ad Aen. III, 134: „Varro rerum divinarum refert, inter sacratas aras focos quoque sacrari solere, ut in Capitolio Iovi, Iunoni, Minervae, nec minus in plurimis urbibus oppidisque, et id tam publice, quam privatim solere fieri." Adde Cat. VI, 8:

Victima sacratos tinguet honore focos.

§. 60.

De sacerdotibus, auguribus et sacrorum ministris.

Quae Macrobius libro tertio de Vergilio rerum sacrarum peritissimo praedicat, ea omnia hodie quoque, quamvis plura aliter explicemus, confirmata inveniemus. Minus haec constantia ac cura in sacerdotibus est agnoscenda, quum haud magnopere ab Homero differant. Attamen et in his habitus Romanus certis argumentis demonstrari poterit. Praeter pontificiam dignitatem, quam regibus poeta concessit, exstant vaticinio indicati

Qvindecimviri. Librorvm. Servandorvm. Aeneas enim apud Sibyllam non solum promittit, fore ut templum Phoebo et Dianae de solido marmore aedificet, VII, 71:

Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
Hic ego namque tuas sortes arcanaque fata
Dicta meae genti ponam lectosque sacrabo,
Alma, viros.

Servius: „Quia nisi patricii non fiebant. Sciendum sane, primo duos librorum fuisse custodes, inde decem, deinde quindecim usque ad tempora Sullana, postea crevit numerus; nam et sexaginta fuerunt, sed remansit in his Quindecimvirorum vocabulum."

Salii. Collegium Saliorum duodecim a Numa Marti Gradivo institutorum e Livio I, 20. notissimum; at apud Vergilium miro modo Herculi VIII, 285. tribuuntur:

Tum Salii ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis,
Hic iuvenum chorus, ille senum . . . . .

Haec difficultas ab antiquis grammaticis iam ἀπορία constituta riteque soluta est. Non multum quidem vereor ne sit tribuendum Servio aucto ita nodum expedienti: „Sunt autem Salii Martis et Herculis, quoniam Chaldaei stellam Martis Herculis dicunt, quos Varro sequitur. Et Tiburtes Salios etiam dicaverant." Quid enim Chaldaei Tiburtesve ad nos? Neque fides integra habenda eidem narranti: „Duo sunt genera Saliorum, sicut in Saliaribus carminibus invenitur, Collini et Quirinales a Numa instituti, ab Hostilio vero Pavorii et Pallorii instituti. Habuerunt sane et Tusculani Salios ante Romanos." Habuerunt et Albani Salios, vide Orell. 2247: L. ANTISTIVS — — SALIVS. ALBANVS. IDEM. MAG (ister). SALIORVM. 2248: P. AEL. P. F. PAL. TIRONI. SALIO. ARCIS. ALBANAE. Quae omnia non explicant, quomodo Vergilius eo adductus fuerit, ut Herculi Salios dederit. Rem magis expedivit

Macrobius Sat III, 12., qui tria nobis testimonia adfert. Ordiamur ab ultimo: „Item Antonius Gnipho, vir doctus, cuius scholam Cicero post laborem fori frequentabat, Salios Herculi datos probat in eo volumine, quo disputat, quid sit festra.“ Maro itaque fortasse hunc quoque librum legit. „Est praeterea Octavii Hersennii liber, qui inscribitur de sacris saliaribus Tiburtium, in quo Salios Herculi institutos operari diebus certis et auspicato docet.“ Denique is, quem totiens auctorem deprehendimus, huius quoque doctrinae poterat esse fons: „Is deus [Hercules] et apud pontifices idem qui et Mars habetur; et sane ita Menippea Varronis adfirmat, quae inscribitur *Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς*, in qua, quum de Hercule multa loqueretur, eundem esse ac Martem probavit.“ Dionysius quoque Ital. A. R. II, 70: *Οὗτοι πάντες οἱ Σάλιοι χορευταί τινές εἰσι καὶ ὑμνηταὶ τῶν ἐνοπλίων θεῶν.* Cf. Serv. Fuld. Aen. II, 325:

Lvperci Panis erant sacerdotes, qui Lupercalibus pellibus tantum cincti discurrebant. Vergilius VIII, 663. *nudosque Lupercos* memorat, *Lupercal* 343. Habitum eorum vide apud Viscontium Mus Pio-Clem. Vol. IV. Tab. 21. In inscriptionibus saepius nominantur v. g. Orell. 2253: Q. CONSIDIVS —— LVPERCVS. QVINCTIAL 2254: Q. VETVRIVS — — LVPERCVS. FABIANVS 2252: P. SVFENATI — — — LVPERCO. LAVRENTI. LAVINATI.

Potitii. Pinarii. Aen. VIII, 268:

Ex illo celebratus honos, laetique minores
Servavere diem primusque Potitius auctor
Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

Vide §. 73. de gentibus Romanorum.

Sacerdotes. Flamines. Cic. de leg. II, 8. legem profert: DIVISQVE. ALIIS. ALII. SACERDOTES. OMNIBVS. PONTIFICES. SINGVLIS. FLAMINES. SVNTO. Sacerdos Apollinis ille II, 319:

Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos.

III, 80:

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos.

Cf. Orell. 2160: L. AVRELIO. APOLAVSTO. MEMPHIO — — APOLLINIS. SACERDOTI. SOLI. VITTATO. ille quoque, qui memoratur X, 537:

Nec procul Haemonides, Phoebi Triviaeque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta.

Neptuni Laocoon II, 201:

Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos.

Quod sorte ducitur, id alias quoque Romae mos fuit. Tacit. Ann.

I, 54: „Idem annus novas caerimonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti.“ Nescio an sacerdos Minervae sit VII, 750:

Quin et Marruvia venit de gente sacerdos
Fronde super galeam et felici comptus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro.

Cf. Dionys. Halic. A. R. II, 64: [Ἀπέδωκε ὁ Νομᾶς] τὴν δὲ δευτέραν τοῖς καλουμένοις ὑφ' Ἑλλήνων Στεφανηφόροις, ὑπὸ δὲ Ῥωμαίων Φλάμισιν, οὓς ἐπὶ τῆς φορήσεως τῶν πιλωτῶν τε καὶ στεμμάτων, ἃ καὶ νῦν ἔτι φοροῦσι, φλάμα καλοῦντες, ουτω προσαγορεύουσι.

Triviae Virbius VII, 775., Cybelae XI, 768:

Forte sacer Cybelae Chloreus olimque sacerdos.

Anchisae denique memoratur flamen V, 760:

Tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.

Maiorem vero nemo homo consequi poterat honorem, quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem. Suetou. Tiber. 26: „Templa, flamines, sacerdotes decerni sibi prohibuit.“ In inscriptionibus flamines plurimi obvii, vide Orell. 2207—2224.

Avgvres. Romanae leges constituerunt (Cic. de leg. II, 8.) duo genera sacerdotum, unum quod praesit caerimoniis et sacris, alterum quod interpretetur fatidicorum et vatum effata incognita. Tales interpretes non noverat antiquitas Homerica, profert vero Vergiliana. Ita Rhamnes IX, 327:

Rex idem et regi Turno gratissimus augur.

XII, 258. et 460:

Tolumnius augur.

XII, 392:

Iamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapis
Iasides, acri quondam cui captus amore
Ipse suas artis, sua munera laetus Apollo
Augurium citharamque dabat celerisque sagittas.

Huc fortasse pertinet etiam Halaesi X, 417:

Fata canens silvis genitor.

Fetiales iam supra tetigimus.

Popae Victimarii, non praecones, qui apud Homerum sunt, apud nostrum sacrorum ministri apparent. Aenea sacrificante VI, 248:

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris.

Ipse poeta Georg. III, 488. memorat *cunctantis* sacrorum *ministros*. Poparum habitum in multis Romanae artis monumentis conspicies v. g. Sculture della villa Borghese. Vol. I. Roma 1796. Stanza I. nr. 13.

Mvlieres quoque sacerdotali dignitate praeditae in Aeneide apparent, non illa solum IV, 483:

Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos.

maga potius, quam sacerdos, sed Allecto quoque VII, 419:

Fit Calybe Iunonis anus templique sacerdos.

in quo quis poetam ad Graecorum magis morem, quam Latinum, spectasse coniicere possit, qui anus templis Ἥρας saepenumero adderent. Sed in inscriptione Orell. 2185: SACERDOTI. IVNONI REG. LICINIAE. LICINIANAE. Dianae quoque Metabus filiolam Camillam, tanquam Vestalem aliquam, XI, 557. famulam vovit, ut Apollinis Sibyllam taceam.

§. 61.

De varia hostiarum ratione.

Inter deos, quibus sacrificabatur, pecudesque quae immolabantur, certa quaedam exstitit ratio, quae, si non servabatur, piaculorum lustrationem poscebat. Tanta enim erat Romanorum religio, ut si forte aliam, atque in ritu sacerdotum scripta erat, hostiam aliquis inscius obtulit, divinum numen non placatum, sed offensum animo sibi fingerent. Apud Ciceronem leg. II, 8. tabulis novis sancitur: QVAEQVE. QVOIQVE. DIVO. DECORAE. GRATAEQVE. SINT. HOSTIAE. PROVIDENTO. Non forte fortuna haec igitur a Vergilio fusa sunt, sed ad caerimonias sacras probe observata. Non enim ex institutis pontificum et haruspicum quidquam mutavit, quibus hostiis immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis, cui nigris, cui albis. Ordiamur a maioribus.

Sollitavrilia quidam ex Homeri voluerunt derivare Odyss. VIII, 59:

Τοῖσιν δ' Ἀλκίνοος δυοκαίδεκα μῆλ' ἱέρευσεν,
ὀκτὼ δ' ἀργιόδοντας ὕας, δύο δ' εἰλίποδας βοῦς.

verum ea Romano more fieri ipse Tacitus claris verbis docuit Ann. VI, 37: „Sacrificantibus, quum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset." Duplex fuisse genus, maiora et minora, discimus ex Tabula Fratrum Arvalium XXXII, 7: IN. LVCO. DEAE. DIAE. Q. LICINIVS. NEPOS. MAG.

OPERIS. PERFECTI. CAVSA. QVOD. ARBORIS. ERVENDAE. ET. AEDIS. REFECTAE. IMMOLAVIT. SVOVETAVRILIBVS. MAIORIBVS. Cf. XLI, a. XLIII. Maiora illa dicuntur, quae iam adoleverant, minora quae apud Catonem R. R. 141. lactentia. Dissentiunt vero scriptores de pecoribus, quae adhibebantur. Varro enim R. R. II, 1: »Et quod populus Romanus, quum lustratur suovitaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus.« Cui proxime fere accedit Dionys. Hal. A. R. IV, 22., qui tauro, ariete et hirco (ταύρῳ καὶ κριῷ καὶ τράγῳ) lustratum esse dicit, omnino Festus: Solitaurilia hostiarum trium diversi generis immolationem significant, tauri, arietis, verris, quod omnes eae solidi integrique sint corporis.« Huc etiam pertinet apud Charisium I. p. 84: »Valgius de rebus per epistolam quaesitis solitaurilia dicta ait esse, tauri autem nomen pro omnibus maribus sumptum esse.« Quodsi enim omnes masculae hostiae erant, non poterat alterorum scriptorum sententiae favere, qui ex sue, ove, tauro constare indeque nomen suovetaurilium ductum esse aiebant. Ad hos pertinet Quintil. I, 5: »Solitaurilia iam persuasum est esse ex sue, ove et tauro.« Apud Festum: »Quidam dixerunt omnium trium vocabula confusa suis, ovis, tauri adeffecisse id, quod uno modo appellarentur universae.« Ad hos poeta noster pertinet I, 633:

Nec minus interea sociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pinguis centum cum matribus agnos.

V, 96:

Caedit binas de more bidentis,
Totque sues, totidem nigrantis terga iuvencos,

Huc fortasse pertinet etiam XI, 197:

Multa bovom circa mactantur corpora Morti,
Saetigerosque sues raptasque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes.

ubi ex agris raptae pecudes nescio an agni vel bidentes fuerint. Quodsi vero hoc loco suovetaurile agnoscas, poteras sane XII, 170. adoptare, ubi pura in veste sacerdos

Saetigerae fetum suis intonsamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.

Sed hic locus a priore differt, quum duae illae sententiae (*attulit-admovit*) diversam sane actionem significent, quae in priore (*mactantur-iugulant*) non erat, quum ibi deinde in porca contracta sint iura, non lustratio, quum denique *pecus* nulla certiore nota addita (ut antea ex agris raptarum) bovem, non ovem significet. Po-

steriorem igitur locum reiicimus iam ad foedera satis inlustratum, illum vero libri undecimi, quum ordo hostiarum cum illo I, 634. 635. consentiat, ut suovetaurile iam advocamus. In tribus vero locis illis quasi quaedam **lustratio** universi populi Aeneadum conspicitur apud Didonem, prodigio deinde viso, inferiis denique peragendis. Semper enim ad lustrationem vel piaculum adhibentur suovetaurilia. Cf. Varro R. R. II., 1. Cato R. R. 141: »Agrum lustrare sic oportet. Impera suovitaurilia circumagi.« Liv. I, 44: „Ibi [Servius Tullius] instructum exercitum omnem suovetaurilibus lustravit.“ VIII, 10: „Si potiatur, Marti suovetaurilibus piaculum fieri.“ Tab. Fratr. Arv. XLIII: EIVS. REI. CAVSA. LVSTR. MISS. SVOVE. TAVRILIB. MAIOR. Tac. Hist. IV, 53: „Lustrata suovetaurilibus area.“ Dionys. Halic. A. R. IV, 22: *Καθαρμὸν αὐτῶν ἐποιήσατο ταύρῳ καὶ κριῷ καὶ τράγῳ.* Restat, ut artis monumenta indicemus huc pertinentia. Pictura exstat codicis Mediolanensis ad Il. I, 313. Inghirami Gall. Omeric. I. Tav. 29. ubi ad locum Iliadis ovis, bos, sus conspicitur astante exercitu araque duplici. Eaedem hostiae depictae sunt in opere caelato apud De Clarac musée des sculptures antiques et modernes. Planches. Tom. II. Tab. CCXIX. 312. CCXXI. 313. Morell. thesaur. numism. Tab. C. N. VII. et XXXVII.

Tavrvs. Ivvencvs. Notandum ante omnia, haec duo vocabula, quamvis in pedestri oratione differant, a poeta promiscue usurpari, quod patet e suovetaurili, cuius pars semel I, 634. **tauri**, V, 96. autem **iuvenci** nominantur, e VI, 243. comparato 253. Reiiciendae igitur grammaticorum (Macrob. III, 10. Serv. Aen. III, 20. IX, 627.) argutiae, qui III, 20. **Iovi** taurum pro iuvenco contra ius pontificium sacrificari contendebant:

Superoque nitentem
Caelicolum regi mactabam in litore taurum.

Aeneas pontifex maximus melius rem novit. Quotiens enim in Tabulis Fratrum Arvalium IOVI. BOVEM. MAREM. Cf. Tab. IX. XVI. Arnob. VII, 21: „Quid applicitum Iupiter ad tauri habeat sanguinem, ut ei debeat immolari, non debeat Mercurio, Libero.“ Ascanius ad Iovem precatur IX, 626:

Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte iuvencum,
Candentem pariterque caput cum matre ferentem.

Cf. III, 220:

Laeta bovom passim campis armenta videmus
Caprigenumque pecus nullo custode per herbas.

Inruimus ferro et divos ipsumque vocamus
In partem praedamque Iovem.

De tauris etiam in triumpho sacrificabatur, ut supra vidimus; quod quum Iovi fieret, Macrobii dubitationem omnio iniustam esse senties. Iovi quoque Stygio eosdem immolat VI, 252:

Tum Stygio regi nocturnas incohat aras,
Et solida inponit taurorum viscera flammis.

Deinde Neptuno atque Apollini immolabatur taurus. Macrob. III, 10: „Labeo vero sexagesimo et octavo libro intulit, nisi Neptuno, Apollini et Marti taurum non immolari.“ Quod quamvis falsum esse viderimus, solis his numinibus sacrificari, tamen proprium horum fuisse docemur. Apud Vergilium III, 118. Aeneas:

Meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo.

Quodsi vero Neptuno sacer erat, non mirum est, quod Cloanthus diis marinis eundem V, 235. promittit:

Di, quibus inperium pelagist, quorum aequora curro,
Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras.

quod deinde Aeneas VI, 38. monetur, ut Apollini sacra ferat:

Nunc grege de intacto septem mactare iuvencos
Praestiterit, totidem lectas de more bidentis.

Helenus Apollini III, 369. de more iuvencos caedit. Taurus Herculi quoque VIII, 180. mactari videtur:

Viscera tosta ferunt taurorum.

Aristaeus quoque Orpheo et Eurydicae Georg. IV, 550:

Quattuor eximios praestanti corpore tauros
Ducit et intacta totidem cervice iuvencas.

Caper. Hirqvvs Baccho immolatur. Poeta Georg. II, 380:

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur.

II, 395:

Et ductus cornu stabit sacer hirquus ad aram.

Servius ad 380: »Victimae numinibus aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolabantur. Per similitudinem, ut nigrum pecus Plutoni, per contrarietatem, ut porca, quae obest frugibus, Cereri, et caper, qui obest vitibus, Libero. Item et Aesculapio capra, qui est deus salutis, cum capra nunquam sine febre sit.“ Arnob. VII, 21: „Si caper caedatur, Iovi, quem patri sollemne est Libero, Mercurio mactari — — quid facinoris in hoc erit?“ In

vase depicto Mus. Borbon. Vol. II. Tab. 47, 1. Genium vides Bacchicum alatum additis duobus capris ad manicam. Saepius occurrunt capita hirquorum in sacrificiis Bacchicis vel Bacchanalibus.

VITVLI. Aeneas V, 772: *Tris Eryci vitulos ... caedere iubet.* — Ex Romanorum vero superstitione non maribus solum victimis masculis, sed femiuis quoque feminis litari consentaneum erat. Quapropter hae quoque earumque rationes sunt considerandae.

VACCA Iunoni videtur offerri a Didone IV, 61., quamquam alia etiam numina antea nominantur. Cf. 57:

Mactant lectas de more bidentis
Legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaeo
Iunoni ante omnes cui vincla iugalia curae
Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccae media inter cornua fundit.

Nullam addidi distinctionem, ut discernas, utrum post *Lyaeo* an post *curae* sit interpungendum. Vocabulum *ipsa* impedit, quominus illud faciamus. Nihilominus vero Dido sine dubio Iunoni vaccam immolavit. Cf. Tab. Fratr. Arval. XIII: IOVI. O. M. BOVEM. MAREM. IVNONI. VACCAM. Cf. VIII. XVI. XXII. Georg. III, 531:

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quaesitas ad sacra boves Iunonis.

Apud Livium XXVII, 37. boves feminae albae duae Iunoni offeruntur.

Deinde Aeneas VI, 251:

Ense ferit sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.

Arnob. VII, 21: »Bos si sterilis [caedatur] Unxiae, quam Proserpinae tribuitis.“

IVVENCA. Cf. Georg. IV, 550. supra laudatum.

AGNA. Aeneas V, 772:

Tempestatibus agnam
Caedere deinde iubet.

Cf. Horat. epod. X, 23:

Libidinosus immolabitur caper
Atque agna Tempestatibus.

Eadem Nocti VI, 249:

Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
Ense ferit.

SVS propter fecunditatem Iunoni oblata esse videtur. VIII, 82:

Candida per silvam cum fetu concolor albo
Procubuit viridique in litore conspicitur sus,

Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxuma Iuno,
Mactat sacra ferens et cum grege sistit ad aram.

Servius: „Dicunt theologi ipsam esse matrem deum, quae Terra dicitur, unde etiam porca ei sacrificatur.“ Arnob. VII, 22: „Telluri, inquiunt, matri scrofa inciens immolatur et foeta.“ Quod si verum est, quod Paullus ex Festo ait: „Confeta sus dicebatur, quae cum omni fetu adhibebatur ad sacrificium.“ Vergilium vocabula *cum fetu* docte posuisse senties. Hoc Aeneae sacrificium depictum vides in opere caelato in Reale Galleria di Firenze. Statue. Vol. III. Tab. 119. De porco ad foedera adhibito deque suovetaurilibus iam disputavimus.

Bidentes easdem esse, quos Oves, constat, quidquid Gellius XVI, 6. litteratorem quempiam Romanum inrisurus contra dicat. Variis vero numinibus eae solebant offerri. IV, 57:

Mactant lectas de more bidentis
Legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaeo
Iunoni ante omnis cui vincla iugalia curae.

Phoebo taurum potius, Lyaeo caprum immolare debebant, sed huic quoque sacrificio non obstare videbatur ius Pontificium. Cf. Tab. Fratr. Arv. XXXII: IVNONI. DEAE. DIAE. OVES. II. Phoebo autem eandem hostiam datam habes VI, 38:

Nunc grege de intacto septem mactare iuvencos
Praestiterit, totidem lectas de more bidentis.

Rex Latinus Fauno VII, 93:

Centum lanigeras mactabat rite bidentis.

Euander Troianique Lari Penatibusque VIII, 544:

Mactant lectas de more bidentis.

Ita MATRI. LARVM. OVES. II. in Tab. Fratr. Arv. XXXII. Ad foedus sanciendum sacerdos attulit XII, 170:

Saetigerae fetum suis intonsamque bidentem,

quam altilaneam pontifices appellabant.

Vitvla. Georg. VI, 547:

Placatam Eurydicen vitula venerabere caesa.

Verum his omnibus consideratis observamus, non solum singula animalia, et tria animalium genera in Sollitaurilibus mactari, sed duo etiam interdum. Ita XII, 170. sus et ovis sacrificatur, VI, 249. agna et vacca, postea taurus etiam, IX, 627. iuvencus et vacca, III, 220. bos et caper, VI, 38 iuvenci et oves. Hoc putare possis a Romanis dictum esse, Graeco ritu sacrificare, eo saltem duci carmine illo apud Livium XXV, 12: DECEMVIRI. GRAECO. RITV. HOSTIIS. SACRA. FACIANT., quod postea

hoc modo perficitur: „Alterum senatusconsultum factum est, ut decemviri sacra Graeco ritu facerent, iisque hostiis, Apollini bove aurato et capris duobus albis auratis, Latonae bove femina aurata.“ Varro L. L. VII. §. 88: „Aruspex praecipit, ut suo quisque ritu sacrificium faciat, et nos dicimus, XII viros Graeco ritu sacra, non Romano facere.“ Sed, nisi egregie fallor, Graeco ritu facere est aperto capite, Romano autem velato. Cf. Macrob. III, 6: „Custoditur in eodem loco, ut omnes aperto capite sacra faciant, hoc fit, ne quis in aede dei habitum eius imitetur; nam ipse ibi operto est capite. Varro ait Graecum hunc esse morem.“ Duo vero diversa animalium genera non solum apud Liv. XXV, 12., sed in Tabula Fratr. Arv. I. porca et agna opima, alias alia immolantur.

Color etiam pecudum spectabatur, eaque ratio a Marone religiosissime est observata. Superis enim diis albis semper, inferis nigris faciebant. Quapropter loco iam allato III, 20. Aeneas *supero regi nitentem taurum in litore mactat.* Georg. II, 146:

Hinc albi, Clitumne, greges et maxima taurus
Victima saepe, tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa deum duxere triumphos.

ubi Servius: „Quia triumphantes de albis tauris sacrificabant.“ Mirum tamen est, quod Cloanthus numinibus marinis promittit V, 235:

Di, quibus inperium pelagist, quorum aequora curro,
Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras.

Sed rem explicat III, 120., ubi Aeneas aris meritos honores mactat, pecudemque *Zephyris felicibus albam;* diis igitur felicibus albam, contra ibidem *Nigram Hiemi pecudem.* Aeneae Ditis domos infernas accessuro V, 734. Anchises vaticinatur:

Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.

Cf. Varro de scenicis originibus fragm. p. 250. (Censorin. D. N. c. 17.): »Renuntiarunt, uti Diti Patri et Proserpinae ludi Terentini in campo Martio fierent et hostiae furvae immolarentur.« Aen. VI, 152:

Sedibus hunc refer ante suis et conde sepulchro.
Duc nigras pecudes; ea prima piacula sunto.

243:

Quattuor hic primum nigrantis terga iuvencos
Constituit . . . . 249: Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
Ense ferit.

Georg. IV, 545:

Inferias Orphei Lethaea papavera mittes,
Et nigram mactabis ovem.

De numeris sacris postea §. 70. disputabimus.

§. 62.

De instrumentis sacris et pontificalibus.

Ad caedendas victimas opus erat securi. II, 223:

Qualis mugitus, fugit cum saucius aram
Taurus et incertam excussit cervice securim.

Semel tantum VI, 250. agnam atram:

Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
Ense ferit.

Quod e Romanorum magis ritu ductum esse reor, quam ex imitatione Homerica, quum Ulisses fossam quidem Od. XI, 25. ense faciat, 48. animas quoque eodem avertat, — quamquam aliter videtur in vase picto in Bulletin. Napolit. Tom. I. Tab. 5. — nequaquam vero hostiam eo percutiat. Deinde cultris opus erat, quorum in sacrificio usus Georg. III, 482. Aen. VI, 248. conspicitur. Ad libandum paterae adhibebantur, quae aureae interdum describuntur. Georg. II, 192:

Hic laticis, qualem pateris libamus et auro.

Aen. I, 728:

Hic regina gravem gemmis auroque poposcit
Inplevitque mero pateram.

VII, 245.

Ad offerendas vel fruges vel viscera lances inserviebant. VIII, 284:

Dona ferunt cumulantque oneratis lancibus aras.

Cf. XII, 215. Georg. II, 394:

Lancesque et liba feremus.

Georg. II, 194:

Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.

Cultrum et pateram inter alia efficta vides in ara Deae Victoriae maiore, quae falso Ubiorum appellatur, Bonnensis Musei Rhenani. Augurum insigne erat lituus, quem Pico et Quirino tribuit VII, 187:

Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat.

ubi Servius: »Lituus est incurvum augurum baculum, quo utebantur ad designanda coeli spatia; nam manu non licebat. *Quirinalem* autem ex persona sua dixit, qualem postea Quirinus habuit.« In numis innumeris lituus conspicitur. De ancili supra §. 31. disputavimus. Denique apex erat flaminibus capitis tegumentum. Vergilius VIII, 664. memorat:

Lanigerosque apices et lapsa ancilia caelo.

Servius: »Flamines in capite habebant pileum, in quo erat brevis virga desuper habens lanae aliquid.« Non omnino constat, an eundem pileum II, 683. de Iulo significaverit:

Fundere lumen apex.

ubi Servii verba notatu digna sunt: »Apex proprie dicitur in summo flaminis pileo virga lanata, hoc est, in cuius extremitate modica lana est, quod primum constat apud Albam Ascanium statuisse. Modo autem summitatem pilei intelligimus.« De vittis sacerdotalibus §. 63. disputabimus. Instrumenta pontificalia omnia vides in ara Minervae in Nibby Museo Capitolino. Vol. I. Scala. Tab. 10. Sculture della villa Borghese. Vol. I. Portico. nr. 15.

§. 63.

De sacrificandi ritibus

expadituri separabimus mores, qui ad sacrificantes attinent, ab iis, qui in ipsis victimis ornandis tractandisque conspiciuntur. Prius vero verba quaedam notabimus, quae quidem ad linguam magis, quam ad certum morem spectare videntur, nequaquam autem ab omni sunt ritus et habitus observatione seiuncta. Sacrificare, quantum scio, nunquam apud Vergilium legitur, saepissime mactare, raro litare. Aen. II, 118:

Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum
Argolica.

IV, 50: *sacrisque litatis.* Macrob. III, 5: „*Litare*, quod significat sacrificio facto placare numen.« Porro piare est culpam contractam sacro delere. Adolere denique verbum sacrorum est de combustione magis adhibitum. Sacrificium ipsum non raro honor vocabatur. Vide Georg. III, 486. Aen. III, 178. 406. Catal. VI, 8:

Victima sacratos tinguet honore focos.

Aen. I, 632:

Simul divom templis indicit honorem.

Servius: »Apud maiores nostros mos fuit, ut magistratus post res

serias, quae consulto peragebantur, in fine actus adderent: DIIS. HONOREM. DICO. vel alio modo: HINC. AD. DEOS. quod poeta amator antiquitatis subtiliter docet.« III, 264:

Numina magna vocat meritosque indicit honores.

Rem simpliciorem esse atque sacrificia indicta a poeta tangi existimo. Cf. Tab. Fratr. Arv. XXIV, 30: DEAE. DIAE. CVM. COLLEGIS. SACRIFICIVM. INDIXERVNT. XVII, b, 6: SACRIFICIVM. INDIXIT. Sed ad mores ipsos accedamus.

1. Ante omnia, qui deos sacris adiret, eum purum et animo et corpore oportebat esse, quapropter, si sanguine pollutus erat, vivo fonte lavari. Aen. II, 718:

Me, bello e tanto digressum et caede recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Comparari possunt, quamvis non omnibus rationibus sint apta, verba illa dolosa sacerdotis Romani Sabinum apud Liv. I, 45. alloquuntis: »Quidnam tu, hospes paras? Inceste sacrificium Dianae facere, quin tu ante vivo perfunderis flumine? Infima valle praefluit Tiberis.« XII, 169:

Procedunt castris puraque in veste sacerdos
Saetigerae fetum suis intonsamque bidentem
Attulit.

Paullus ex Festo: »Pura vestimenta sacerdotes ad sacrificium habebant, id est non obsita, non fulgurita, non funesta, non maculam habentia.« Quod funesta vestimenta funusque in universum hominem maculat, VI, 149. videmus, ubi Sibylla Aeneam monet, ne prius infernum adeat, quam Misenum mortuum sepulchro condiderit:

Praeterea iacet exanimum tibi corpus amici,
Heu nescis, totamque incestat funere classem.

atque ipse Aeneas VI, 229. funere peracto:

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi et ramo felicis olivae,
Lustravitque viros.

Denique in inferis VI, 635:

Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua.

2. Romanorum, qui sacrificabant, proprium deinde erat, ut caput velarent ac tam proprium, ut hic caput velandi ritus Romanus vocaretur. Causam ipsam aliquando de fontibus Aeneidis disputaturi indicabimus. Varro L. L. V. §. 130: »Romano ritu sacrificium feminae cum faciunt, capita velant.« Contra, si operto ca-

pite, Graeco ritu faciebant. Macrob. I, 8: »Illic Graeco ritu capite aperto res divina fit.« III, 6: »Varro ait, Graecum hunc esse morem, quia sive ipse, sive qui ab eo relicti aram maximam statuerunt, Graeco ritu sacrificaverunt.« Cf. Liv. X, 7. Cic. N. D. II, 3. In opere caelato Florentino Aeneas conspicitur capite velato sacrificans in Reale Galleria di Firenze. Statue. Vol. III. Tab. 119. Aen. III, 545:

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

Cf. Tab. Fratr. Arv. XLI, a, 22: INDE. PRAETEXTATI. CAPITE. VELATO. VITTIS. SPICEIS. CORONATI. LVCVM. ADSCENDERVNT. ET...... AGNAM. OPIMAM. IMM.

3. Qui sacrificarunt sacerdotes, vittis et infulis induebantur. Ita Laocoon Neptuni sacerdos anguibus implexus II, 221:

Perfusus sanie vittas atroque veneno.

II, 430: Panthea

Labentem pietas nec Apollinis infula texit.

Ne vero credas, hanc ex Homerico versu Il. I, 14:

στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

desumptam esse, monet te X, 537:

Nec procul Haemonides, Phoebi Triviaeque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta.

ubi Servius: »Infula fascia in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependent, quae plerumque lata est, plerumque tortilis de albo et cocco.« Paullus ex Festo: »Infulae sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes et hostiae templaque velantur.« Monet te III, 80:

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos
Vittis et sacra redimitus tempora lauro.

In Elysio quoque, qui *pii vates et Phoebo digna locuti,* VI, 665:

Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.

Helenus III, 370. oraculum daturus

Exorat pacem divom vittasque resolvit
Sacrati capitis.

Dido contra sacra Iovi Stygio perpetratura Barcen nutricem IV, 637. hortatur:

Tuque ipsa pia tege tempora vitta.

Allecto denique, quae se in Iunonis sacerdotem Calyben mutat, VII, 417: *induit albos cum vitta crinis.* Vides igitur, non flaminibus solis Apollinis, sed omnibus sacerdotibus vittas vel infulas tribui.

4. Ab immolantibus non raro caeli pars oriens spectabatur. In foedere sanciendo XII, 172:

Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas.

Aeneas VIII, 68:

Surgit et aetherii spectans orientia Solis
Lumina rite cavis undam de flumine palmis
Sustinet.

Tab. Fratr. Arv. XXIV, 28: MAGISTER. FRATRVM. ARVALIVM. MANIBVS. LAVTIS. VELATO. CAPITE. SVB. DIVO. COLVMINE. CONTRA. ORIENTEM. DEAE. DIAE. CVM. COLLEGIS. SACRIFICIVM. INDIXERVNT. Tab. XXXII, 11: MAG. VELATO. CAPITE. CONTRA. ORIENTEM. Cf. Vitruv. IV, 5: »Qui adierint ad aram immolantes aut sacrificia facientes, spectent ad partem caeli orientis.«

Altera horum rituum pars ad ipsas victimas pertinet, quarum, quantum ad singulos deos pertinet, rationem supra iam explicavimus. Multa tamen alia restant nequaquam in illarum observatione praetereunda. De quibus quamvis confusis locis haec Macrobius III, 5. docuit.

1. Trebatium libro primo de religionibus docuisse, »hostiarum esse genera duo, unum in quo voluntas dei per exta disquiritur, alterum in quo sola anima deo sacratur, unde etiam haruspices, animales has hostias vocant.« Vergilium putat Macrobius animale hostiarum genus ostendisse V, 483:

Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo.

et II, 118: *animaque litandum Argolica.* Quod vereor, ne argutius sit dictum quam verum. Meliora quae sequuntur: »In his ipsis hostiis vel animalibus vel consultatoriis quaedam sunt, quae hostiae iniuges vocantur, id est, quae nunquam domitae aut iugo subditae sunt. Harum quoque noster poeta sic meminit (Aen. VI, 38.):

Nunc grege de intacto septem mactare iuvencos
Praestiterit, totidem lectas de more bidentis.

et, ut iniuges evidentius exprimeret, adiecit (Georg. IV, 540.):

Et intacta totidem cervice iuvencas.«

Quum non in uno loco posuerit poeta, non adiecisse videri potest, sed eandem rem iterum expressisse. Ceterum cf. Paullus ex Festo: »Iniuges boves, qui sub iugo non fuerint.«

Pergit Macrobius: »Eximii quoque in sacrificiis vocabulum non poeticum ἐπίθετον, sed sacerdotale nomen est. Veranius enim in pontificalibus quaestionibus docet, eximias dictas hostias, quae

ad sacrificium destinatae eximantur e grege, vel quod eximia specie quasi offerendae numinibus eligantur. Hinc ait (Georg. IV, 538.):

Quattuor eximios praestanti corpore tauros« —

Delige et intacta totidem cervice iuvencas.

Cf. Paullus ex Festo: »Eximium inde dici coeptum, quod in sacrificiis optimum pecus e grege eximebatur, vel quod primum erat natum.« Idem, nisi fallor, significavit poeta VI, 39. et VIII, 544., quum *lectas de more bidentis* commemoraret. Ceterum pari doctrina confeta sus, ut supra vidimus, a Vergilio significata est.

2. Quod ita natura animal praestans erat atque ad numina genere et colore aptum, arte ornabatur, ita ut interdum frons iuvencorum vel cornua potius auro inlinerentur. In memoriam revocabimus IX, 627: *aurata fronte iuvencum.*, V, 366: *velatum auro iuvencum.* Quod ne ex Homerico χρυσὸν κέρασιν περιχεύας ductum esse putemus, monent Tab. Fratr. Arv. XIX. 7: BOVE. AVRATO. VOVIMVS. ESSE. FVTV.... 9: AVRATA. VOVIMVS. ESSE. FVTVRVM. Tab. XXIV, 14: QVAE. IN. VERBA. I. O. M. BOVEM. AVRATAM. VOVIMVS. ESSE. FVTVRAM. Liv. XXV, 12: »Alterum senatusconsultum factum est, ut decemviri sacra Graeco ritu facerent iisque hostiis: Apollini bove aurato et capris duabus albis auratis, Latonae bove femina aurata.«

Deinde vittis ornabatur hostia. Ita Sinoni, ut ait II, 133., parantur

Et salsae fruges et circum tempora vittae.

156:

Vittaeque deum, quas hostia gessi.

V, 366. Aeneas statuit

Victori velatum auro vittisque iuvencum

postea 481. immolandum. Cf. Georg. III, 486:

Saepe in honore deum medio stans hostia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantis cecidit moribunda ministros.

E lana confectas fuisse infulas, confirmat non Festus solus, sed Varro L. L. VII. §. 24: »Dictas apparet infulatas hostias, quod velamenta, his e lana quae adduntur, infulae.« Albae vero sine dubio erant vittae, quando diis superis fiebat, atrae, quando inferis. In Cenotaphio Pisano L. Caesaris legitur: BOSQVE. ET. OVIS. ATRI. INFVLIS. CAERVLIS. INFVLATI. DIIS. MANIBVS. EIVS. MACTENTVR.

3. Opus erat, ut animal immolandum ad aram statueretur,

neque cogeretur ad mortem subeundam, sed quasi sua sponte deo sese offerret. Cloanthus V, 236:

Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras.

VI, 243:

Quattuor hic primum nigrantis terga iuvencos
Constituit.

IX, 627:

Et statuam ante aras aurata fronte iuvencum.

Aeneas suem VIII, 85:

Mactat sacra ferens et cum grege sistit ad aram.

Sacerdos XII, 171:

Admovitque pecus flagrantibus aris.

Quapropter cornu ducebatur. Georg. II, 395:

Et ductus cornu stabit sacer hirquus ad aram.

Quod Macrob. III, 5. ita explicat: »Observatum est a sacrificantibus, ut, si hostia, quae ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque, se invitam altaribus admoveri, amoveretur, quia invito deo offerri eam putabant. Quae autem stetisset oblata, hanc volenti numini dari existimabant.« Cornu victimas duci haud raro in monumentis obvium est.

4. Hostiae ita adductae vino in frontem vel inter cornua infuso probatio peragebatur. Iuvencos VI, 244:

Constituit frontique invergit vina sacerdos.

ubi Servius: »In quarto (61.) ait: *Media inter cornua fundit.* Et fundere est supina manu libare, quod fit in sacris supernis, vergere autem est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis sacris fit. Haec autem pertinent ad victimarum explorationem, ut, si non stupuerint, aptae probentur.« Sequebatur deinde salsarum frugum vel molae salsae in caput iniectio, quae proprie inmolatio vocabatur. Postea vocabulum immolatio de ipsa mactatione dictum est. Festus: „Mola etiam vocatur far tostum et sale sparsum, quod eo molito hostiae aspergantur.“ Memoratae iam saepius sunt II, 133. Sinonis

Et salsae fruges et circum tempora vittae.

XII, 172:

Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas.

IV, 517:

Ipsa mola manibusque piis altaria iuxta —
Testatur moritura deos.

„Obliquum etiam cultrum, ait Servius Aen. XII, 173. a fronte usque ad caudam ante immolationem ducere consueverant; nam hoc est quod dicit:

Et tempora ferro
Summa notant pecudum.“

Cf. Stat. Theb. IV, 461: »Iamque ardua ferro Signati capita.« In quibusdam sacris, infernis ut videtur, saetae abscindebantur. Aeneas saltem Proserpinae Noctique sacra ferens VI, 245:

Et summas carpens media inter cornua saetas
Ignibus inponit sacris, libamina prima.

Atque ex eodem more suspicor poetam duxisse IV, 698. locum de Didone morti destinata:

Nondum illi flavom Proserpina vertice crinem
Abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco.

Quamquam hoc alii exemplo Euripidis Alcestide purgant, in qua fabula in scenam Orcus inducebatur gladium gestans, quo crinem abscindat Alcestidi, et sic loquitur (Macrob. V, 19.):

Ἡδ' οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς Ἅδου δόμους.
Στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξομαι ξίφει.
Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
Ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσει τρίχα.

Cf. Serv. ad Aen. III, 46.

Quod si non iniuria dictum sit, apud Latinos hunc morem in talibus solum sacrificiis exstitisse, differentiam ab Homeri ritu habebimus, qui, quamvis nostro ansam dederit, Od. XIV, 422. de (III, 446.) sacro pro salute et reditu Ulissis narrat:

Ἀλλ' ὅγ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν
ἀργιόδοντος ὑός, καὶ ἐπεύχετο πᾶσι θεοῖσιν,
νοστῆσαι Ὀδυσῆα πολύφρονα ὅνδε δόμονδε.

Differt quoque Il. III, 273., quo saetas non in ignem coniiciunt, sed principibus distribuunt:

Ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας· αὐτὰρ ἔπειτα
κήρυκες Τρώων καὶ Ἀχαιῶν νεῖμαν ἀρίστοις.

5. Porro caput victimae feriebatur, ut sensu orbata procumberet. In Aeneide saepissime Aeneas *Ense ferit, caedit,* alia quae vix ut explicentur opus est. Bis tamen XI, 199. et XII, 213:

Rite sacratas
In flammam iugulant pecudes.

Notatu dignius est, quod popae victimarii cultros supponunt. VI, 248:

Supponunt alii cultros tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris.

Georg III, 492:

Ac vix suppositi tinguuntur sanguine cultri.

In quibusdam sacris ad deorum voluntatem explorandam exta consuluntur. Dido IV, 63:

Instauratque diem donis pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Etiam XII, 214:

In flammam iugulant pecudes, et viscera vivis
Eripiunt cumulantque oneratis lancibus aras.

et Georg II, 194:

Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.

verum non eo consilio, ut inspiciant ea, sed ut diis offerant. Neque enim, quemadmodum apud Homerum fieri solet, μηρία pingui obducta ieiuniora aliquantulum dona numinibus dabantur, sed viscera ipsa. Cloanthus V, 237:

Extaque salsos
Porriciam in fluctus et vina liquentia fundam.

Verbum explicat Macrob. III, 2: »Non ut quidam *proiiciam* existimantes, dixisse Vergilium proiicienda exta, qui adiecit *in fluctus;* sed non ita est. Nam et ex disciplina haruspicum, et ex praecepto pontificum verbum hoc sollemne sacrificantibus est; sicut Veranius ex primo libro Pictoris ita dissertationem huius verbi exsecutus est: EXTA. PORRICIVNTO. DIIS. DANTO. IN. ALTARIA. ARAMVE. FOCVMVE. EOVE. QVO. EXTA. DARI. DEBEBVNT.« De Scipione Nasica Liv. XXIX, 27: »Secundum eas preces cruda exta victimae, uti mos est, in mare porricit, tubaque signum dedit proficiscendi.« Varro L. L. VI. §. 31: »Intercisi dies sunt per quos mane et vesperi est nefas, medio tempore inter hostiam caesam et exta porrecta fas.« Varro antiq. R. D. XI. fr. p. 219. (de consecrationibus) apud Nonium s. v. Prosecta: »Prosiciem extorum vel in mensam porricere.«

His omnibus libatione addita peractis epulae ipsae instituebantur. Quapropter Aeneas VIII, 183. vescitur

Perpetui tergo bovis et lustralibus extis.

ut convivium apud Didonem libri primi silentio praeteream. Interdum ipsos deos vocant, ut participes sint, qui mos paene lectisternii fuit. Ita III, 222:

Inruimus ferro et divos ipsumque vocamus
In partem praedamque Iovem.

V, 62:

Adhibete Penatis
Et patrios epulis et quos colit hospes Acestes.

VII, 175:

Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

§. 64.

De farre, mola salsa, ture, libis.

Quae modo nominatae sunt fruges, partim solae, partim cum aliis sacrificiis coniunctae adhibentur. Notatu dignum est *pium far,* quo ludibria noctis somniaque infausta lustrare solebant. Rem declarat Tibullus III, 419:

Et natum in curas hominum genus omina noctis
Farre pio placant et saliente sale.

Plautus Amphitr. II, 2, 106:

Recte dicit, ut commeminit, somnium narrat tibi.
Sed mulier, postquam experrecta est, prodigiali Iovi
Aut mola salsa aut ture comprecatam oportuit.

Apparet itaque farre pio cum sale, id est mola salsa, vel ture talia lustrata esse portenta. Quapropter Aeneas, postquam in somniis Anchises ipsi apparuit multasque calamitates indixit, V, 744:

Pergameumque Larem et canae penetralia Vestae
Farre pio et plena supplex veneratur acerra.

Ceterum Laribus omnino ture fiebat et fruge, teste Horat. carm. III, 23, 3:

Si ture placaris et horna
Fruge Lares avidaque porca.

ibid. 19:

Mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica.

Eadem de causa Penatibus visis Aeneas III, 177:

Et munera libo
Intemerata focis.

Huc quoque, nisi fallor, pertinet Ecl. VIII, 82: *Sparge molam.* Ceterum mola salsa eadem est, quae II, 133. et XII, 173. *salsae fruges* appellantur. Plinio teste N. H. XVIII, 2: „Numa instituit deos fruge colere et mola salsa supplicare.“ Tus apud Homerum constat nusquam inveniri; βωμός enim θυήεις plane alios vapores indicat. Quando in religionem Romanam fuerit invectum, non omnino constat. Arnob. VII, 26: „Nam neque temporibus, quemadmodum creditur et perhibetur, heroicis, quidnam esset tus, scitum est, scriptoribus ut comprobatur a priscis, quorum in libris nulla posita eius mentio repperitur, neque genitrix et mater superstitionis

Hetruria opinionem eius novit aut famam, sacellorum ut indicant ritus, neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in usum cuique venit, sacra cum res fieret, neque ipse Romulus aut religionibus artifex in comminiscendis Numa aut esse scivit, aut nasci, ut pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum sollemnium munia.« Anno V. C. CCCCLVI. „prodigia multa fuerunt, quorum averruncandorum causa supplicationes in biduum senatus decrevit. Publice vinum ac tus praebitum.“ Quae supplicatio loco superiori V, 745. convenit, quo Aeneas Larem *plena supplex veneratur acerra.* In supplicatione quoque XI, 481:

Succedunt matres et templum ture vaporant.

Dido IV, 453:

Vidit, turicremis cum dona imponeret aris, —
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.

TVRE igitur ET VINO fecit. Haec saepissime coniuncta v. g. apud Caton. R. R. 134: „Ture, vino Iano, Iovi, Iunoni praefato.“ Liv. XXIII, 11: „Tum dixit [Q. Fabius Pictor], se oraculo egressum his omnibus divis rem divinam ture ac vino fecisse.“ Orell. 686: TVRE. ET. VINO. GENII. EORVM. AD. EPVLANDVM. ARA. NVMINIS. AVGVSTI. INVITARENTVR. Veneri Aen. I, 416:

Templum illi centumque Sabaeo
Ture calent arae sertisque recentibus halant.

Apud Arcadem Evandrum VIII, 105:

Una omnes iuvenum primi pauperque senatus
Tura dabant tepidusque cruor fumabat ad aras.

Ad artem magicam pertinet Eclog. VIII, 65:

Verbenasque adole pinguis et mascula tura.

Servius auctus: „*mascula tura*, quae in modum testiculorum sunt.« Sed Plinius N. H. XII, 32: „Quod ex eo rotunditate guttae pependit, masculum vocamus, cum alias non fere mas vocetur, ubi non sit femina. Religioni tributum, ne sexus alter usurparetur. Masculum aliqui putant a specie testium dictum.“

Liba denique memoranda videntur, quae agrestibus praesertim et minoribus numinibus offerebantur. Eclog. VII, 33:

Sinum lactis et haec te liba, Priape, quot annis
Exspectare sat est.

Baccho Georg. II, 394:

Lancesque et liba feremus.

Ceneri Georg. I, 344.

Lacte favos et miti dilue Baccho.

§. 65.

De precibus, votis, precationum formulis ritibusque.

A precibus vota ita differunt, ut illis deos homines aliquid petant, his promittant gratum quid numini divino praestandum, eaque differentia a poeta quoque servatur, cuius e multis pauca quaedam exempla libabo III, 437:

Iunonis magnae primum prece numen adora,
Iunoni cane vota libens.

Quae VI, 51. per Sibyllam ab Aenea poscuntur *vota precesque*, postea talem in modum dividuntur, ut versibus 56 — 68. preces, 69 — 74. vota exprimantur. Cetera ad linguam magis, quam ad ritum pertinentia, ut *vota solvere* XI, 4., *libens* III, 438., *votum pro reditu* II, 17., in inscriptionibus usitatissima, omittimus.

Precibus vero per Vergilii carmina dispersis subesse notato formulas precationum Romanarum. Profanos a sacris abesse moneri, res notissima. VI, 258:

Procul, o procul este profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco.

Alia formula in sacris Romanis usitatior his verbis erat concepta: FAVETE. LINGVA. QVISQVIS. ADES. V, 71:

Ore favete omnes, et cingite tempora ramis.

I, 735:

Et vos o coetum Tyrii celebrate faventes.

VIII, 173:

Annua, quae differre nefas, celebrate faventes.

Romani porro, quum nonnisi a diis praesentibus auxilium hominibus adferri posse crederent, eos, ut adessent, precari solebant. Servavit, nisi fallor, e libro vel ore pontificali hoc nobis indigitamentum Arnobius III, 43: »Adeste, adestote, dii penates, tu Apollo, tuque Neptune, omniaque haec mala, quibus uror, torreor, vexor, vestri numinis averruncate clementia.« Teste Servio Tiberinus invocatur in precibus: ADESTO. TIBERINE. CVM. TVIS. VNDIS. Quod mire servavit Maro VIII, 72:

Tuque o Thybri tuo genitor cum flumine sancto ....
Adsis o tantum et propius tua numina firmes. 78

IV, 578:

Adsis o placidusque iuves.

I, 734:

Adsit laetitiae Bacchus dator et bona Iuno.

X, 255:

Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.

X, 461:

Te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis.

X, 773. Georg. I, 18:

Adsis, o Tegeaee, favens.

Catalect. VI, 11:

Adsis, o Citherea.

De deorum, quorum opem implorabant, nomine dubitantes, eos appellare solebant: QVISQVIS. ES vel SIVE. DEVS. SIVE. DEA. Aeneas Mercurio in somniis viso IV, 576:

Sequimur te, sancte deorum,
Quisquis es.

Plaut. Rud. I, 4, 38: »Nunc quisquis es deus, veneror.« Servius ad Vergilii l. l.: »Secundum pontificum morem, qui sic precantur: Iuppiter omnipotens, vel quo alio nomine appellari volueris.« Aen. IX, 208:

Ita me referat tibi magnus ovantem
Iuppiter, aut quicumque oculis haec aspicit aequis.

I, 330:

Sis felix, nostrumque leves, quaecumque, dolorem.

IX, 21:

Sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas.

III, 261:

Sed votis precibusque iubent exposcere pacem,
Sive deae, seu sint dirae obscenaeque volucres.

Cf. Tab. Fratr. Arv. XXXII, 3: SIVE. DEO. SIVE. DEAE. IN. CVIVS. TVTELA. HIC. LVCVS. LOCVSVE. EST. OVES. II.

Pacem denique et veniam petebant numinum. Liv. III, 5: »Omnia delubra pacem deum exposcentium virorum mulierumque turba implebantur.« III, 7: »Iussi cum coniugibus ac liberis supplicatum ire pacemque exposcere deum.« VII, 2: »Pacis deum exposcendae causa tertio tum post conditam urbem lectisternium fuit.« Aen. III, 261:

Sed votis precibusque iubent exposcere pacem.

Helenus 370:

Exorat pacem divom.

IV, 56:

Principio delubra adeunt pacemque per aras
Exquirunt.

Georg. IV, 534:

Tu munera supplex
Tende petens p a c e m *et facilis venerare Napaeas.*
Namque dabunt v e n i a m *votis irasque remittent.*

Aen. III, 144:

Hortatur pater ire mari v e n i a m *que precari.*

IV, 50:

Tu modo posce deos v e n i a m.

Cf. Liv. XXXIX, 10: »Pacem veniamque precata deorum deorumque.« Quae cetera restant precandi genera, ut dii faveant, annuant, volentes propitiique sint, alia multa ex humana potius indole variaque periculorum occasione ducta esse reor, quam ex sollemnibus formulis adumbratae, quamvis non negandum sit, poetam ea praecipue verba optasse, quae ad linguam sacram maxime accedebant.

Denique e rituum in precando sollemnium unus maxime videtur memorabilis manus ad caelum tendendi. Aeneas I, 93:

Ingemit et duplicis tendens ad sidera palmas.

III, 263:

Et pater Anchises passis de litore palmis.

V, 233:

Ni palmas ponto tendens utràsque Cloanthus . . . . .

Aeneas X, 686:

Auxilioque vocare deos et tendere palmas.

Cf. IX, 16. Vide statuam in Sculture della villa Borghese. Vol. II. Stanza VIII. Tab. 6. III, 176:

Corripio e stratis corpus, tendoque s u p i n a s
Ad caelum cum voce manus.

Iarbas dicitur IV, 205:

Multa Iovem manibus supplex orasse s u p i n i s.

Cf. Horat. carm. III, 23, 1:

Caelo s u p i n a s si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidyle....

Liv. XXVI, 9: »Undique matronae in publicum effusae circa deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes, n i x a e g e n i b u s, s u p i n a s m a n u s ad caelum ac deos tendentes orantesque.«

Semel terram genu petunt oraculo edito III, 93: *Submissi petimus terram*, ut apud Livium matronae nixae genibus.

§. 66.

De libationibus.

Unum iam supra vidimus libationis genus in frontem seu inter cornua victimae, restat alterum frequentissimum vini in aram vel flammam infusi. Quapropter non immerito scrupulum iniecit Euangelo apud Macrob. III, 11., quod VIII, 279. omnes in festo Herculis ad aram maximam

In mensam laeti libant divosque precantur.

»quum non in mensam, sed in aram secundum morem libare debuerint.« Dido quoque I, 736:

Dixit et in mensam laticum libavit honorem.

Sine dubio Vergilius non proposuit eundem ritum, nisi talem exstare probe noverat. Praetextatus autem e Papiriano iure refert, arae vicem praestare posse mensam dicatam: »Ut in templo Iunonis Populoniae augusta mensa est; namque in fanis alia vasorum sunt et sacrae suppellectilis, alia ornamentorum. — — Quarum rerum principem locum obtinet mensa, in qua epulae libationesque et stipes reponuntur — — Mensa hoc ritu dedicata in templo arae usum et religionem obtinet pulvinaris.« Minus placet, quod Servius huc trahit: »Et tangit ritum Romanum, qui paniceas (!) sacratasque mensas habebant, in quas libabant, ut est (VII, 116): *Heus etiam mensas consumimus.*« Varro Vit. P. R. II. (Non. s. v. Foetum) fr. p. 244: »Mensae ante ponebantur cum culina ac vino, in quis, quae veniebant ad foetam amicae gratulatum, diis mactabant.« Tab. Fratr. Arv. XLI, a, 24: PERFECTO. SACRIFICIO. OMNES. TVRE. ET. VINO. FECERVNT. DEINDE. REVERSI. IN. AEDEM. IN. MENSA. SACRVM. FECERVNT. OLLIS. Paullus ex Festo: »Mensae in aedibus sacris ararum vicem obtinebant.“ Ab ipso denique poeta memorantur II, 764: *mensaeque deorum.* In mensam vel aram libant III, 354:

Aulai medio libabant pocula Bacchi
Inpositis auro dapibus paterasque tenebant.

In puppim navis fortasse vel in ipsos fluctus Anchises III, 525:

Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit inplevitque mero divosque vocavit
Stans celsa in puppi.

Etenim Cloanthus V, 238:

Porriciam in fluctus et vina liquentia fundam.

Sed Georg. IV, 381. quum *Oceano libemus* dictum sit, vinum in flammam 384. funditur. Iovi pictis IV, 207:

Gens epulata toris Lenaeum libat honorem.

VII, 133:

Nunc pateras libate Iovi.

XII, 174:

Paterisque altaria libant.

De Cerere monet poeta Georg. I, 344:

Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho.

Offendit Euangelus apud Macrob. III, 11., quod vino Cereri libetur. Praetextatus ita defendit, ut mulso libari contendat: „Notum autem esse non diffitebere, quod ad diem duodecimum kalendas Ianuarias Herculi et Cereri faciunt sue praegnate, panibus, mulso.“ Sed iam apud Catonem R. R. 134: „Postea Cereri exta et vinum dato.“ Verum enim vero hae omnes libationes vino peractae sunt; exstiterunt aliae quoque aliis liquoribus offerendae. Huc nescio an pertineat mos ille Aeneae, qui patrem Tiberinum Nymphasque Laurentes adoraturus VIII, 69. *rite cavis undam de flumine palmis Sustinet,* nisi verius sit, hanc lustrationem esse, non libationem. Estne ad flammam solum alendam, quod Aeneas sacrificat VI, 254:

Pingue super oleum infundens ardentibus extis.

Notandum enim, sacrum hoc loco fieri Stygio Iovi et Proserpinae. Oleum vero, lac sanguisque libamenta in inferiis adhibebantur. Quod quamvis ad sepulturam proprie sit relegandum, hic tamen demonstrari liceat. VI, 224. in honorem Miseni:

Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Hinc explicandi versus suavissimi Eclog. V, 66:

Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.
Pocula bina novo spumantia lacte quot annis
Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi.

Tibull. eleg. III, 2, 19:

Et primum annoso spargant collecta Lyaeo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.

Varro Cato, vel de liberis educandis (apud Non. s. v. Ruma) fr. p. 319: „Hisce manibus lacte fit, non vino.“ Plin. N. H. XIV, 14: „Romulum lacte, non vino libasse, indicio sunt sacra ab eo instituta, quae hodie custodiunt morem.“ Arnob. VII, 20: „Quod si grata numinibus inferis ea, quae sunt nigra, furvique existimatis coloris: cur non omnia cetera, quae illorum inferre sacrificiis moris est, sint nigra et fumigata, tetreque ut colorata curatis? Inficite tura, si

dantur, salsas fruges, atque universa libamina; lacti, oleo, sanguini, hic ponat ut purpureum colorem, illa ut sint lurida, fuliginem infundite cum favillis." Cenotaph. Pisan.: SVPERQVE. EAS. SINGVLAE. VRNAE. LACTIS. MELLIS. OLEI. FVNDANTVR. Adde sanguinem, quemadmodum Aeneas in exsequiis anniversariis V, 77:

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

Polydoro III, 66:

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte
Sanguinis et sacri pateras.

Comparari potest, quod in sacrificio Hecatae oblato ministri VI, 248: *tepidumque cruorem Suscipiunt pateris.* Quam diversus in his omnibus Homerus Od. XI, 26:

Ἀμφ' αὐτῷ δὲ χοὴν χεόμην πᾶσιν νεκύεσσιν,
πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ,
τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι· ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνον.

§. 67.

De coronis sertisque.

Coronarum usus apud antiquos per omnem quidem vitam dispersus, sed in religione maxime fuit usitatus. Quapropter me hunc locum in unam quasi imaginem complecti, permittant lectores. Omnium vero notissima est corona civica. VI, 772:

Adque umbrata gerunt civili tempora quercu.

Gell. V, 6: »Civica corona appellatur, quam civis civi, a quo servatus est in proelio, testem vitae salutisque perceptae dat —« quapropter in numis lapidibusque (Centralmus. R. I. III, 279.) interdum ea includuntur signa O. C. S. i. e. ob cives servatos — »Ea fit e fronde querna — — Massurius autem Sabinus in undecimo librorum memorialium civicam coronam tum dari solitam dicit, quum is, qui civem servaverat, eodem tempore etiam hostem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat.« Quernea tamen corona etiam sacra Georg. I, 349:

Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos et carmina dicat.

Deinde victoriae causa corona concedebatur triumphalis. Gell. V, 6: „Triumphales coronae sunt aureae, quae imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Id vulgo dicitur aurum coronarium. Hae antiquitus e lauru fuerunt, post fieri ex auro coeptae." Plin.

N. H. XV, 38. Ad hanc igitur spectare videtur poeta, quum locantur V, 110:

In medio sacri tripodes viridesque coronae
Et palmae pretium victoribus.

Etenim V, 245:

Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat viridique advelat tempora lauro.

V, 539:

Sic fatus cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnis victorem appellat Acesten.

Huc lemniscata quoque corona pertinet. V, 269:

Puniceis ibant evincti tempora taeniis.

Servius: „vittis roseis, et significat lemniscatas coronas, quae sunt de frondibus et discoloribus fasciis, et, sicut Varro dicit, magni honoris sunt." Paullus ex Festo: „Lemnisci, id est fasciolae coloriae dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quod antiquissimum fuit genus coronarum lanearum."

„Navalis est, quae donari solet, maritimo proelio qui primus in hostium navem armatus vi transsilivit." Gell. l. l. Inde Agrippa VIII, 683:

Arduus agmen agens, cui belli insigne superbum
Tempora navali fulgent rostrata corona.

4. Oleaginea quoque victor coronatur V, 308:

Tres praemia primi
Accipient flavaque caput nectentur oliva.

V, 494:

Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.

Quae quum ut navalis rarior sit, explicatur e XII, 766:

Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum.

Multo magis tamen haec ad sacerdotalem dignitatem pertinuit. Quapropter de Numa ait VI, 809:

Quis procul ille autem ramis insignis olivae
Sacra ferens.

VII, 418:

Tum ramum innectit olivae,
Fit Calybe Iunonis anus templique sacerdos.

VII, 750:

Quin et Marruvia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici comptus oliva.

Cir. 146:

Necdum sollemni lympha perfusa sacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivae.

Georg. III, 21:

Ipse, caput tonsae foliis ornatus olivae,
Dona feram.

Eandem Aeneas videtur induere VII, 135. Genio loci, Telluri, Nymphis sacrificaturus:

Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Inplicat.

5. Aliis tamen numinibus aliae arbores sacrae erant. Ipse poeta Eclog. VII, 61:

Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,
Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo.

Inde recte explicavit iam Macrob. III, 12., cur Saliis populeas coronas tribuat VIII, 276:

Dixerat: Herculea bicolor cum populus umbra
Velavitque comas foliisque innexa pependit.

285:

Tum Salii ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis.

„quum ad aram maximam sola lauro capita et alia fronde non vinciant.“ Maronem Macrobius ita excusat, ut multo post Romam conditam hanc consuetudinem lauro coronandi dicat exordium sumpsisse, postquam, ut Varro Humanarum II. docuerit, in Aventino lauretum coeperit virere. Quam excusationem doctrinamque iusto subtiliorem esse adfirmaverim. Laurea Phoebo gratissima, unde III, 80:

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,
Vittis et sacra redimitus tempora lauro.

Myrtus Veneri, unde ludis in honorem Anchisae habitis eam adhibet V, 72:

Sic fatus velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius, sequitur quos cetera pubes.

Cf. Plin. N. H. XV, 38: „L. Piso tradit, Papirium Masonem, qui primus in monte Albano triumphavit de Corsis, myrto coronatum ludos Circenses spectare solitum.“

Sertis denique utebantur Romani ad ornanda deorum templa, simulacra, sacrificia. Didoni IV, 457:

Praeterea fuit in tectis de marmore templum

Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum.

De Veneris templo Cat. VI, 6:

Ornabo et puris serta feram manibus.

Veneri Aen. I, 417:

Ture calent arae sertisque recentibus halant.

In Iovis templis a Iarba conditis IV, 202:

Pingue solum et variis florentia limina sertis.

Ad alium etiam vitae ornatum adhibebantur serta, quod et poetarum loci permulti et artis monumenta probant.

§. 68.

De arte magica.

Inter multa illa, quibus ab Homero poeta Romanus recessit, magia quoque est numeranda, quippe quae apud illum revera nondum sit exculta. *Νεκυία* enim, id est, manium ex inferis evocatio toto caelo distat. Vergilius ipse Cir. 374. haec vocat

Sacra nec Aeaeis senibus nec cognita Graiis.

Italorum vero incantamenta artesque carmini suo saepius intexuit. Inter varios, qui ad bellum cientur, VII, 750:

Quin et Marruvia venit de gente sacerdos — —
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
Spargere qui sommos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras et morsus arte levabat.

Eclog. VIII, 71:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Plin. N. H. VII, 2: »Simile et in Italia Marsorum genus durat, quos a Circae filio ortos servant, et ideo inesse iis vim naturalem eam. Et tamen omnibus hominibus contra serpentes inest venenum.« Memorantur a Vergilio VII, 757:

Cantus
Somniferi et Marsis quaesitae montibus herbae.

Simili arte femina illae aevi Augustei celebratae sunt, quae quum universae naturae leges convertere, tum animum humanum incantationibus regere posse dicebantur. Talem se Dido simulat aliquam esse accituram IV, 487:

Haec se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit, ast aliis duras inmittere curas,
Sistere aquam fluviis et vertere sidera retro.

quocum conferas Eclog. VIII, 69:

Carmina vel caelo possunt deducere Lunam.

Horat. Sat. I, 8, 19:

Quantum carminibus quae versant atque venenis
Humanos animos.

Tibull. I, 2, 43:

Hanc ego de coelo ducentem sidera vidi,
Fluminis haec rapidi carmine vertit iter.

Vergilius IV, 490:

Nocturnosque ciet manes; mugire videbis
Sub pedibus terram et descendere montibus ornos.

comparari potest cum Ovid. R. A. 253:

Me duce non tumulo prodire iubebitur umbra,
Non anus infami carmine rumpet humum.
Non seges ex aliis alios transibit in agros,
Nec subito Phoebi pallidus orbis erit.

Dido deinde ipsa pyram in interioribus aedibus ex arboribus funereis exstructam cupressu (Horat. epod. V, 18.) obumbrat, in quam IV, 507:

Super exuvias ensemque relictum
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.

Cerea enim effigie vel imagine illius opus erat, quem his veneficiis incantationibusque devovere vellent. Interpretes iam laudarunt Eclog. VIII, 80:

Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit
Uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.

cui addas eiusdem carminis 74:

Terque hanc altaria circum
Effigiem duco.

Horat. Sat. I, 8, 30:

Lanea et effigies erat, altera cerea, maior
Lanea, quae poenis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat servilibus, ut quae
Iam peritura, modis.

Exuvias vero, quas Dido consecrat, etiam Eclog. VIII, 91. commemorat:

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit.
Pignora cara sui, quae nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando; debent haec pignora Daphnim.

Alius ritus erat passis crinibus ter invocandi deos inferos Aen. IV, 509:

Stant arae circum, et crinis effusa sacerdos,
Ter centum tonat ore deos, Erebumque Chaosque.
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.

Quem numerum alio loco uberius explicandum ipse poeta inlustrat Eclog. VIII. 73:

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hanc altaria circum
Effigiem duco; numero deus inpare gaudet.

Cir. 368:

At nutrix, patula conponens sulpura testa,
Narcissum casiamque herbas contundit olentes,
Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila: Ter in gremium mecum, inquit, despue virgo,
Despue ter, virgo; numero deus inpare gaudet.

Tibull. I, 2, 54:

Ter cane, ter dictis despue carminibus.

Quod numina attinet, apud Horatium quoque Sat. I, 8, 13:

Hecaten vocat altera, saevam
Altera Tisiphonen.

atque Canidia 24. passo capillo ululat. Aen. IV, 512:

Sparserat et latices simulatos fontis Averni.

Horat. Epod. V, 25:

At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas
Horret capillis.

IV, 513:

Falcibus et messae ad Lunam quaeruntur aenis
Pubentes herbae nigri cum lacte veneni.

Eclog. VIII, 95:

Has herbas adque haec Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Moeris; nascuntur plurima Ponto.
His ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerim, saepe animas imis excire sepulchris
Adque satas alio vidi traducere messis.

Falcibus aenis herbas quaeri, Macrobius V, 19. voluit Vergilium e tragoedia illa Sophoclis habere, qua Medea maleficas herbas secat χαλκέοισιν δρεπάνοις et succum herbarum in cados aeneos χαλκέοισι κάδοις refundit; sed idem ipse animadvertit, omnino ad rem divinam pleraque aenea adhiberi solita et verba e Carminii libro de Italia II. ponit: »Prius itaque et Tuscos aeneo vomere uti, quum conderentur urbes, solitos, in Tageticis eorum sacris in-

venio, et in Sabinis ex aere cultros, quibus sacerdotes tonderentur.« Maronem talia ex Italia habere malim. Quod herbae pubescunt, ad Lunam quaeruntur, id quoque rationibus magicis non caret. IV, 515:

Quaeritur et nascentis equi de fronte revolsus
Et matri praereptus amor.

comparandus cum Georg. III, 280:

Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum destillat ab inguine virus;
Hippomanes, quod saepe malae legere novercae,
Miscueruntque herbas et non innoxia verba.

Servius ad Aen. IV, 515: »Secundum Plinium, qui dicit in naturali historia, pullos equinos habere in fronte quandam carnem, quam eis statim natis adimit mater, quam si quis forte praeripuerit, odit pullum et lac ei denegat.« Plin. N. H. VIII, 66: »Et sane equis amoris innasci veneficium, hippomanes appellatum, in fronte caricae magnitudine, colore nigro, quod statim edito partu devorat foeta, aut partum ad ubera non admittit. Si quis praereptum habeat, olfactu in rabiem id genus agitur.« Ad amorem Aeneam hoc veneficio adigendum fuisse, Dido scilicet rebatur; nihil enim aliud in Ecloga VIII. nostro loco simillima exstat quod conferri possit, nisi comparatio 85:

Talis amor Daphnim, qualis, cum fessa iuvencum
Per nemora adque altos quaerendo bucula lucos
Propter aquae rivom viridi procumbit in ulva,
Perdita, nec serae meminit decedere nocti,
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.

Nutrix Cir. 375:

Pergit, Amyclaeo spargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.

Denique Dido IV, 517:

Ipsa mola manibusque piis altaria iuxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testatur moritura deos.

Quod molam in flammam spargit, non sine causa factum esse ignemque amoris subesse augurandum erit ex Eclog. VIII, 82:

Sparge molam et fragilis incende bitumine laurus.
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.

Mirum tamen quod unum tantum pedem veste exuerit, quum Canidia Horat. Sat. I, 8, 24. pedibus nudis ambobus ululet. Servium verum vidisse arbitror: »Quia id agitur, ut et ista solvatur, et

implicetur Aeneas.« In talibus enim omnia artificia symbolica vi non carere constat. Adde Eclog. VIII, 77:

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores,
Necte, Amarylli, modo et, Veneris, dic, vincula necto.

§. 69.

De divinatione.

Quae de divinatione proferenda erunt, ea duabus comprehendi licet partibus, quarum altera ea visa continet vel fausta vel infausta fortuito partim vigilantibus oblata, quae ostenta vocant, partim dormientibus, quae somnia: altera, quae a diis petita et data complectitur vel signa, quae augüriorum, vel responsa, quae oraculorum nomine comprehenduntur. Poeta ipse promiscue vocabulis monstri, augurii, portenti utitur.

A. In ostentis prodigiisque observandum est, Maronem nullam usquam temeritatem, sed ordinem et artem ita semper prae se tulisse, ut ex historia Romana cognita vel certo desumpserit, vel e libris pontificalibus, quorum memoria nos fugit, ea deprompsisse sit coniiciendus. Quae priusquam singula explicemus, memorandus est mos ille Romanorum omen casu oblatum in bonam partem accipiendi saepius in Aeneide obvius V, 530:

Nec maxumum omen
Abnuit Aeneas.

ubi Servius: „Nam nostri arbitrii est, visa omina vel improbare vel recipere.“ VIII, 117:

Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit ac stupefactus numine pressit.

IX, 21:

Sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas.

X, 249:

Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades, animos tamen omine tollit.

XII, 260:

Accipio adgnoscoque deos.

Ita L. Paullus consul apud Cic. divin. I, 46: „Accipio, inquit, mea filia, omen.“ Liv. XXXVIII, 18: „Accipere se omen quum dixisset consul, castra eo ipso loco posuit.“ Cf. I, 7. 34.

1. Inter fausta omina commemoranda sunt ante omnia tonitrua illa, quibus summum numen coeptis humanis quasi adnuere

credebatur. Constat vero, Graecis ea felicia perhiberi, quae ἐκ δεξιᾶς audiebantur; unde Homerus Il. IX, 236:

Ζεὺς δέ σφι Κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων
Ἀστράπτει.

Differentiam iam perspexit Cicero div. II, 39: „Ad nostri augurii consuetudinem dixit Ennius: Quum tonuit laevum bene tempestate serena. At Homericus Aiax apud Achillem querens de ferocitate Troianorum nescio quid hoc modo nuntiat: Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit. Ita nobis sinistra videntur, Graiis et barbaris dextra meliora." Romani igitur augurii consuetudinem Vergilius quoque tenuit II, 692:

Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
Intonuit laevom.

IX, 630:

Audiit et caeli genitor de parte serena
Intonuit laevom.

In quo posteriore omine non leve est *de parte serena* Iovem tonare, quemadmodum IX, 528. arma quoque *in caeli regione serena* videntur, quod non solum ex Ennii loco supra a Cicerone prolato, sed a Varrone quoque habere potuit, qui in Endymione (fr. p. 271.) dixit:

Dum sermone caenulam variamus,
Interea tonuit bene tempestate serena.

Huic caeli tonitrui adiici potest terrae quidam mugitus ab Aenea in Tartarum descendente auditus et terrae motus VI, 256:

Sub pedibus mugire solum, et iuga coepta moveri
Silvarum.

quemadmodum etiam in oraculo edendo III, 90:

Tremere omnia visa repente
Liminaque laurusque dei totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.

Livius XXIX, 14: „In aede Iunonis Sospitae Lanuvii cum horrendo fragore strepitum editum." XXXI, 12: „Lanuvii templo Sospitae Iunonis nocte strepitum ingentem exortum." Cum fragore cognati sunt fulgores illi caelestes, quorum partim cum eo, partim sine eo mentio apud antiquos exstat. Aen. VIII, 524:

Namque inproviso vibratus ab aethere fulgor
Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.
Suspiciunt, iterum atque iterum fragor increpat ingens.

Arma inter nubem caeli in regione serena
Per sudum rutilare vident et pulsa tonare.

Plura hic signa coniuncta sunt, memoratu vero dignissima arma visa, quorum similis saltem species Liv. XLII, 2: „Lanuvii classis magnae species in caelo visae dicebantur." XXI, 62: „Navium speciem de caelo adfulsisse." Magis tamen ad Vergilii narrationem accedit XXII, 1: „Arpis parmas in coelo visas pugnantemque cum luna solem." Maxime Plin. N. H. II, 58: „Armorum crepitus et tubae sonitus [*Tyrrhenus tubae clangor* Verg.] auditos e caelo Cimbricis bellis accepimus, crebroque et prius et postea. Tertio vero consulatu Marii ab Amerinis et Tudertibus spectata arma caelestia, ab ortu occasuque inter se concurrentia, pulsis quae ab occasu erant.« Alius ignis caelestis memoratur Aen. IX, 110:

Hic primum nova lux oculis offulsit, et ingens
Visus ab Aurora caelum transcurrere nimbus
Idaeique chori.

Quod *ab Aurora* nimbus transcurrit, consentit cum prodigio, quod Livius XXIX, 14. narrat: »Facem Setiae ab ortu solis ad occidentem porrigi visam.« Quemadmodum vero VIII, 524. fragor fulgorque coniuncti sunt, ita II, 693. non solum *intonuit laevom*, sed:

Et de caelo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

cui comparetur Liv. XLI, 21: »Et faces eadem nocte plures per caelum lapsae sunt in Lanuvino.« XLIII, 13: »Facem in caelo conspectam — — Minturnis quoque per eos dies caeli ardentis species adfulserat.« Plin. N. H. II, 25: »Emicant et faces, nonnisi cum decidunt visae, qualis Germanico Caesare gladiatórum spectaculum edente praeter ora populi meridiano transcucurrit. Duo genera earum: lampades vocant plane faces, alterum bolidas, quale Mutinensibus malis visum est. Distant quod faces vestigia longa faciunt priore ardente parte, bolis vero perpetua ardens longiorem trahit limitem.« Cognata his et similibus es [visio Turni oculis obiecta IX, 19:

Unde haec tam clara repente
Tempestas? medium video discedere caelum,
Palantisque polo stellas.

Servius: »Chasma dicit factum i. è. subitam aeris disruptionem et quendam recessum.» Laudat deinde Plin. N. H. II, 26: »Fit et caeli ipsius hiatus, quod vocant chasma.« Cf. Liv. XXII, 1: »Fa-

leriis caelum findi velut magno hiatu visum, quaque patuerit, ingens lumen effulsisse.« Ad Vergilium maxime accedit Cic. divin. I, 43, 97: »Nam et quum duo visi soles essent, et quum tres lunae, et quum faces, et quum sol nocte visus esset, et quum e caelo fremitus auditus, et quum caelum discessisse visum est atque in eo animadversi globi.« qui globi iidem esse videntur, quae a Marone palantes stellae nominatur. Ab ignibus caelestibus prodigiosis facilis transitus erit ad eos, qui in hominum ipsorum corporibus videri interdum dicebantur. Faustum est illud *mirabile monstrum*, quod de Iulo II, 681. narratur:

Namque manus inter maestorumque ora parentum
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas et circum tempora pasci.

Vide picturam Vaticanam in Millin. mythol. Gall. Tab. CLXXVI. bis. nr. 645. Quod de Servio Tullo Liv. I, 39: „Eo tempore in regia prodigium visu eventuque mirabile fuit. Puero dormienti, cui Servio Tullio nomen fuit, caput arsisse ferunt multorum in conspectu.“ Sed conspirant sequentia quoque:

Nos pavidi trepidare metu crinemque flagrantem
Excutere et sanctos restinguere fontibus ignis.

cum Livio: „Plurimo igitur clamore inde ad tantae rei miraculum orto excitos reges, et quum quidam familiarium aquam ad restinguendum ferret, ab regina retentum, sedatoque eam tumultu moveri vetuisse puerum, donec sua sponte experrectus esset. Mox cum somno et flammam abiisse.“ Flammam innoxiam invenimus etiam Liv. XLIII, 13: „Fregellis in domo L. Atrei hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil eius ambureret ignis, dicebatur.“ Praeterea inviolata manet Lavinia virgo VII, 71., quam quidem ipsam inlustrem fore i. e. coniugem Aeneae, reginam, sed belli quoque causam vates 80. canunt.

Ut iuxta genitorem adstat Lavinia virgo
Visa, nefas, longis conprendere crinibus ignem,
Adque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalisque accensa comas, accensa coronam,
Insignem gemmis, tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Volcanum spargere tectis.

Omnino vero tales circum caput flammae ad regiam vel summam saltem in republica dignitatem vel fortunam certe praesagiendam vel fingebantur vel accipiebantur. Valer. Maxim. I, 6, 2: „Aeque felicis eventus illa flamma, quae ex. L. Marii, ducis duorum exer-

cituum, quos interitus P. et Cn. Scipionum in Hispania debilitaverat, capite concionantis eluxit.« Ceterum quod flamma omne tectum implet, eius prodigii exemplum habere potuit poeta in illo, quod Sueton. Aug. 94. narrat: „quod infuso super altaria mero tantum flammae emicuisset, ut supergressa fastigium templi ad caelum usque ferretur.“ Inde Aeneae X, 270:

Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignis.

cui Augustus comparandus est VIII, 680:

Stans celsa in puppi, geminas cui tempora flammas
Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.

quanquam hoc loco spectari possunt, quae Suetonius Aug. 79. narrat, illum claros ac nitidos oculos habuisse ac gavisum esse, siquis sibi acrius contuenti quasi ad fulgorem solis vultum submitteret. Sidus Caesaris est, quod in honorem patris Augustus in galea habuit depictum. Simile quid de Romuli divino capite VI, 780. poeta pangit:

Viden, ut geminae stant vertice cristae,
Et pater ipse suo superum iam signat honore?

Accedamus ad ea omina, quae animalibus visis eduntur, in quo illud praeclarum, quod de quattuor equis albis (*candore nivali*) Anchisae Italiam primo aspicienti III, 537. exstat iam supra §. 51. de triumpho satis explanatum. Conferri etiam poterit somnium apud Sueton. Aug. 94: „Filium super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus.“ Alba quoque illa confeta est sus VIII, 81:

Ecce autem subitum adque oculis mirabile monstrum
Candida per silvam cum fetu concolor albo
Procubuit viridique in litore conspicitur sus.

quae rerum gestarum scriptoribus numisque Romanis probe innotuit, albae sine dubio etiam columbae illae VI, 190:

Vix ea fatus erat, geminae cum forte columbae
Ipsa sub ora viri caelo venere volantes
Et viridi sedere solo.

quas Aeneas ut *maternas aves* adgnoscit. Albi denique, nisi egregie fallor, duodecim illi cycni ab aquila primum turbati, deinde vero in terram sine ulla laesione demissi I, 393:

Aspice bis senos laetantis agmine cycnos,
Aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperte
Turbabat caelo, nunc terras ordine longo
Aut capere aut captas iam despectare videntur.

In quo tamen nescio an duodecim illos Romuli vultures poeta in animo habuerit, vel quod Iul. Obsequens de prodigiis 68. narrat: „Caesar cum in campum Martium exercitum deduceret, sex vultures apparuerunt. Conscendenti deinde rostra creato consuli iterum sex vultures conspecti, veluti Romuli auspiciis novam urbem condituro signum dederunt.“ Cf. Sueton. Aug. 95: „Primo autem consulatu ei augurium capienti duodecim se vultures, ut Romulo, ostenderunt.“ — Ceterum notanda est avis talis maior in minorum grege saepius in prodigiis obvia v. g. apud eundem Obseq. ibid.: „In castris Caesaris luce prima in culmine praetorii super linteum consedit aquila, inde circumvolantibus minoribus avibus excita de conspectu abiit.“ Sueton. Caes. 81: „Pridie autem easdem Idus avem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianae curiae se inferentem volucres varii generis ex proximo nemore persecutae ibidem discerpserunt.“ Comparetur cum ostento modo allato XII, 247:

Namque volans rubra fulvos Iovis ales in aethra
Litoreas agitabat aves turbamque sonantem
Agminis aligeri, subito cum lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexere animos Itali, cunctaeque volucres
Convertunt clamore fugam, mirabile visu,
Aetheraque obscurant pinnis, hostemque per auras
Facta nube premunt, donec vi victus et ipso
Pondere defecit, praedamque ex unguibus ales
Proiecit fluvio penitusque in nubila fugit.

Quod augurium Rutuli quidem faustum salutant, falluntur tamen Iuturna nympha.

2. Infausta omina maiorem etiam disputandi materiam praebent, quum omnia fere, quae a solita ac cotidiana naturae via recederent, sempiterno metu anxiati ad divinas causas referrent. Sol nebula tectus rubensque tristis erat portenti. De quo poeta ait Georg. I, 464:

Ille etiam caecos instare tumultus
Saepe monet fraudemque et operta tumescere bella.
Ille etiam exstincto miseratus Caesare Romam
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.

Liv. XXV, 7: „Sol rubere solito magis sanguineoque similis.“ XXXI, 12: „Priverni sereno per diem totum rubrum solem fuisse.“

Cometae etiam, ut hodie a plebe, infausti habebantur. Georg. I, 487:

Non alias caelo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri totiens arsere cometae.

Aen. X, 272:

Non secus ac liquida siquando nocte cometae
Sanguinei lugubre rubent aut Sirius ardor.

Plin. N. H. II, 23: „[Cometes] terrificum magna ex parte sidus ac non leviter piatum, ut civili motu Octavio consule iterumque Pompeii et Caesaris bello.“ Huc etiam pertinet V, 525:

Namque volans liquidis in nubibus arsit harundo,
Signavitque viam flammis, tenuisque recessit
Consumpta in ventos: caelo seu saepe refixa
Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.

Porro Georg. I, 474:

Armorum sonitum toto Germania caelo
Audiit, insolitis tremuerunt motibus Alpes.

De sonitu armorum cf. Plin. N. H. II, 38. iam allatum. Adde Iul. Obseq. 42: „Arma caelestia tempore utroque ab ortu et occasu visa pugnare et ab occasu vinci.“ 68: „Armorum telorumque species a terra visa cum fragore ad caelum ferri.“ 64: „Clamorem crepitumque armorum Antiochiae bis, ut curreretur in muros, auditum, indeque sonum tympanorum Pergami.“ Terrae motus insolitos Livius quoque inter miracula enumerat III, 10: „Eo anno caelum ardere visum, terra ingenti concussa motu est.“ IV, 21: „Terroresque ac prodigia, maxime quod crebris motibus terrae ruere in agris nuntiabantur tecta.“ Georg I, 471:

Quotiens Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa.

Cf. Iul. Obseq. 21: „Mons Aetna ignibus abundavit. Prodigium maioribus hostiis quadraginta expiatum.“ 24: „Mons Aetna maioribus solito arsit ignibus.“ 27: „Aetna mons terrae motu ignes super verticem late diffudit.“ Ne vero opineris, poetam ipsum talia miracula superstitiosum credidisse, poetam, qui felicem illum praedicat, qui rerum causas cognovit et metum omnem pedibus subiecit. Probus tamen naturae scrutator et observator talia e mente popularium suorum hausit, quo artificio animos ita cepit, quemadmodum nostri quoque poetae superstitioni indulgentes. Quis enim crediderit, a Marone insolitam amnium inundationem prodigiosam esse habitam? Georg. I, 481:

Proluit insano contorquens vertice silvas
Fluviorum rex Eridanus camposque per omnis
Cum stabulis armenta tulit.

Cf. Liv. XXX, 38: „Inter quae [prodigia] etiam aquarum insolita magnitudo in religionem versa; nam ita abundavit Tiberis, ut ludi Apollinares circo inundato extra portam Collinam ad aedem Erycinae Veneris parati sint." Iul. Obseq. 67: „Padus inundavit." Interdum etiam Georg. I, 479:

Sistunt amnes terraeque dehiscunt.

Liv. XXXII, 9: „Terra Velitris trium iugerum spatio caverna ingenti desederat." Cic. divin. I, 43: „Delata etiam ad senatum labes agri Privernatis, quum ad infinitam altitudinem terra desedisset." Verum ea quoque, quae a terrae solo seiuncta erant, in religionem vertebantur. Georg. I, 476:

Vox quoque per lucos volgo exaudita silentis
Ingens.

et de Didonis amore captae templo Aen. IV, 457:

Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox cum terras obscura teneret.

Liv. I, 31: »Visi etiam audiri vocem ingentem ex summi cacuminis luco, ut patrio ritu sacra Albani facerent.« VI, 33: »Vox horrenda edita templo [matris Matutae] cum tristibus minis.« Georg. I, 477:

Et simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis.

Tales species hominum visae in historia uniuscuiusque populi sunt frequentissimae. Cf. Iul. Obseq. 50 de anno V. C. DCLX: »Faesulis ingens multitudo inter sepulchra lugubri veste pallida facie interdiu ambulare gregatim visa." Sed Italiae magis antiquae proprium est, quod Georg. I, 478: *pecudesque locutae, Infandum.* Quotiens Livius narrat illis locis, qui sine dubio ex annalibus pontificum hausti sunt, bovem feminam vel marem locutum esse, quotiens Iulius Obsequens? Porro Caesare exstincto Georg. I, 486:

Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.

Hoc prodigium apud Livium frequentius. Cf. Iul. Obseq. 48: „Lupus urbem ingressus in domo privata occisus." 51: „Lupi urbem ingressi." I, 470:

Obscenaeque canes inportunaeque volucres
Signa dabant.

De prioribus ad annum V. C. DCXC. narrat Iul. Obseq. 62: „Nocturni ululatus flebiles canum auditi." ad annum DCCIX. idem

67: „Canum ululatus nocte ante pontificis maximi domum Lepidi auditi; ex his maximus a ceteris laniatus turpem infamiam Lepido portendit.“ Quod Harpyias attinet, Aeneas dubitat III, 262:

Sive deae, seu sint dirae obscenaeque volucres.

atque 241. *obscenas pelagi volucres* eas appellat. Obscenum enim apud Vergilium idem quod dirum, prodigiosum. Cf. XII, 876: *Obscenae volucres.* Ad has vero praesertim bubo numerabatur, quae si intra urbem conspecta fuerat lustrationem necessariam reddidit. Plin. N. H. X, 16: „Bubo funebris et maxime abominatus publicis praecipue auspiciis — — Capitolii cellam ipsam intravit Sex. Papelio Histro, L. Pedanio Coss. propter quod Nonis Martiis urbs lustrata est eo anno.“ idem 17: „L. Cassio, C. Mario Coss. quo anno et bubone viso lustrata est.“ Iul. Obseq. 24: „Bubonis vox primum in Capitolio, dein circa urbem audita.“ 45: „Bubone in urbe viso urbs lustrata.“ 48: »Bubo in Capitolio occisus — — Urbe lustrata Ptolemaeus cet.“ Non mirum igitur, quod hoc quoque dirum ostentum de Didone condiderit poeta IV, 462:

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri et longas in fletum ducere voces.

Est enim, ut Plinius ait, noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. Eiusdem specie poeta significat Turno alteram Dirarum obviam XII, 862:

Alitis in parvae subitam collecta figuram,
Quae quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens serum canit inportuna per umbras.

Servius auctus ad Aen. IV, 462: »Sane bubo, si cuius aedes insederit et vocem miserit, mortem significare dicitur. Si autem de busto sudem ad tectum detulerit, incendium aedibus portendere.«

Angues visi infausto fere semper omini erant, quapropter libri secundi iubatos (*iubae sanguineae* II, 205.) prodigium Troianis haberi nequaquam est mirandum, atque ob illum V, 87:

Caeruleae cui terga notae maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille iacit varios adverso sole colores,
Obstipuit visu Aeneas.

Liv. XLI, 21: „Caeritesque anguem in oppido suo iubatum, aureis maculis sparsum, apparuisse adfirmabant.“ XLIII, 13: »Alter [aedituus nuntiavit], in aede Fortunae anguem iubatum a compluribus visum esse.“ Iul. Obesq. 44. ad annum V. C. DCXLVIII: „Trebulae Mutuscae ante quam ludi committerentur canente tibicine angues nigri aram circumdederunt, desinente can-

tare dilapsi.“ 46: »Sacrificantibus anguis ad aram inventus.“ Quod vero angues illi Laocoontis ipsam Minervae aedem II, 226. petunt et sub pedibus clipeoque deae teguntur, maxime prodigiosum erat. Cf. Liv. XXVIII, 11: »Satricanos haud minus terrebant in aedem Iovis foribus ipsis duo perlapsi angues.“ Potuit tamen et faustum haberi portentum anguis visus, ut ille libri quinti, cui compares Valer. Maxim. I, 6, 4: „Nec parum prosperi successus est, quod sequitur. L. Sulla cos. sociali bello, cum in agro Nolano ante praetorium immolaret, subito ab ima parte arae prolapsam anguem prospexit. Qua visa Postumii aruspicis hortatu continuo exercitum in expeditionem duxit et fortissima Samnitum castra cepit.“

Sanguis vero maximopere homines eorum temporum superstitiosos terrebat. Quotiens apud Livium legimus vel sanguine pluisse vel scuta sanguinem vel sanguinem e foco manasse? Inde, quod Aeneam maxime terret, prodigium illud III, 27:

Nam, quae primo solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae,
Et terram tabo maculant.

quod repetitur 33:

Alter et alterius sequitur de cortice sanguis.

Liv. XXXIV, 45: „In foro et comitio et Capitolio sanguinis guttae visae sunt.“ Iul. Obseq. 45: „Lanuvii in aede Iunonis Sospitae in cubiculo deae sanguinis guttae visae.“ Quae quum non omnibus numeris quadrent, haud dubito, quin in annalibus aliquando hoc quoque arborum sanguine manantium portentum fuerit narratum. Ceterum, quod alii iam monuerunt, ex ea etiam superstitione id fingere poterat, qua antiqui Nymphas arboribus innasci, sacrisque arboribus succissis guttas sanguinis manasse interdum perhibebant. Verum Aeneas postea non Dryadas, sed Nymphas agrestes et Mavortem, qui arvis praesidet, veneratur. Praeterea Dido IV, 453:

Vidit, turicremis cum dona inponeret aris,
Horrendum dictu, latices nigrescere sacros
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.

quod de Xerxe narrat Valer. Maxim. I, 6. extern. 1: „Priusquam Athenas deleret, Lacedaemonis invadendae consilium agitanti admirabile inter coenam prodigium incidit. Infusum namque paterae eius vinum in sanguinem, nec semel, sed iterum et tertio conversum est.“ Quod idem prodigium ter repetitur, Vergilius supra quoque de sanguinis guttis III, 33. posuit. Praeterea Georg. I, 483:

Nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibrae adparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit.

De extis notissimum est, de rivis sanguinis cf. Liv. XXVI, 23: „Et in foro Sudertano sanguinis rivos per diem totum fluxisse." XXVII, 23: „Volsiniis sanguine lacum manasse." Cf. XXII, 1. 36. Verum Georg I, 480:

Et maestum inlacrimat templis ebur aeraque sudant.

Prius prodigium apud Liv. XL, 19: „Lanuvii simulacrum Iunonis Sospitae lacrimasse." XLIII, 13: „Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrimavit." Alterum apud Iul. Obseq. 62. ad annum V. C. DCXC: „Simulacrum Martis sudavit." Ael. Lamprid. vita Commodi Ant. 16: „Herculis signum aeneum sudavit in Minucia per plures dies." Cic. divin. I, 43: „Quid? quum Cumis Apollo sudavit, Capuae Victoria?" Neque tamen crediderim, omnia illa prodigia, quae Vergilius Georg. I, 466—488 exstincto Caesare accidisse narrat, revera fuisse nuntiata, sed poetica licentia pauca illa, quorum rerum gestarum scriptores memoriam iniiciunt, in maius auxisse. Unum restat mirum sane ostentum Aen. VII, 64. de lauro in Latini aedibus narratum:

Huius apes summum densae, mirabile dictu,
Stridore ingenti liquidum trans aethera vectae,
Obsedere apicem, et pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.

E multis eiusdem rei apud Livium Iuliumque Obsequentem prodigiis unum eligimus simillimum Liv. XXI, 46: „Examen apum in arbore praetorio imminente consederat." Nostro loco adventum viri peregrini eo omine indicari imperiumque eius statim e vatis verbis patet. Additur etiam Laviniae aliud imperii signum 71. flamma innoxia, de qua iam locuti sumus. Ita Iulius Capitolinus 3. de Antonio Pio ut imperii omen refert: „Eius statuas in omni Etruria examen apum replevit." Quam inconstantiam iam observavit Plin. N. H. XI, 18: „Sedere in castris Drusi imperatoris, cum prosperrime pugnatum apud Arbalonem est, haud quaquam perpetua aruspicum coniectura, qui dirum id ostentum existimant semper."

Progredimur ad

somnia.

Somni nequaquam videtur poeta certam expressamque imaginem concepisse, sed varia Homeri imitatione modo hanc modo illam speciem adhibuisse. Attamen in his quoque a Graeco vate distat. Etenim V, 838:

Levis aetheriis delapsus Somnus ab astris.

Palinurum petit, super eius tempora ramum soporantem 855. quassans. Neque sibi constat, quum VI, 390. ad inferos eum releget:

Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporae.

qui modo ab aethere delapsus erat. Neque intellexit, ut verum fateamur, etymologicam illam apud Homerum portarum vim Odyss. XIX, 562—567. *Αἱ μὲν γὰρ [πύλαι] κεράεσσι τετεύχαται* eorum scilicet, *οἳ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι, αἱ δ' ἐλέφαντι* eorum, *οἳ ῥ' ἐλεφαίρονται*. Quae vis omnino evanuit apud Maronem in Latinum sermonem haec vertentem:

Sunt geminae Somni portae, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris;
Altera candenti perfecta nitens elephanto
Sed falsa ad caelum mittunt insomnia Manes.

Sed, quod in imitationibus facere semper solet, mutavit rem; de somniis enim primo non loquitur veris, sed de umbris i. e. veris mortuorum imaginibus, quae hominibus apparent, porta cornea emissis, deinde de somniis fallentibus. Integra species conversa est. Malim Vergilium versus 894--899. non scripsisse. Quod enim nobis narrat, Aeneam porta eburna emissum esse, neque hoc quadrat, quum omnem illam rerum Romanarum seriem Aeneae praesagio monstratam quasi uno ictu deleat atque ut falsam tollat. Habuit vero apud ipsos Romanos scriptores magnam copiam hanc materiam augendi ornandique. Cicerone enim divin. I, 21. teste omnia, quae Aeneas gessit ac passus est, somniis quasi praeformata sunt: „Sint haec, ut dixi, somnia fabularum, hisque adiungatur etiam Aeneae somnium, quod in Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus eiusmodi est, ut omnia, quae ab Aenea gesta sunt quaeque illi acciderunt, ea fuerint, quae ei secundum quietem visa sunt." Verum haec vel demonstrare vel augurari eius erit, qui de fontibus carminis nostri disseret, nostri erit somnia, quae per Aeneidem indicantur, simplici memoria enarrare. Didoni in somnis apparet Sychaeus coniunx misero modo a Pygmalione trucidatus I, 353:

Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Coniugis, ora modis attollens pallida miris
Crudelis aras traiectaque pectora ferro
Nudavit, caecumque domus scelus omne retexit.

ubi *ora pallida* dicta sunt, ut *simulacra modis pallentia miris*, de quibus supra. Pectora nudat i. e. vulnera detegit pectori immissa, plane ut Hector Aeneae II, 270:

In somnis ecce ante oculos maestissimus Hector
Visus adesse mihi largosque effundere fletus,
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes traiectus lora tumentis.

Vix ad somnum relaturus est poeta effigies deorum Penatium, quas Aeneas III, 148. conspicit:

Effigies sacrae divom Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare iacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras.

Fatetur enim 173:

Nec sopor illud erat, sed coram adgnoscere voltus
Velatasque comas praesentiaque ora videbar.

Fatetur Aeneas IV, 351:

Me patris Anchisae, quotiens umentibus umbris
Nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,
Admonet in sommnis et turbida terret imago.

Didonem IV, 465:

Agit ipse furentem
In somnis ferus Aeneas, semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam et Tyrios deserta quaerere terra.

Quanquam hanc solitudinis dirae speciem magis ad dementiam quandam rettuleris, quam ad somnia. Palinuri insomnium apud poetam ipsum perlegendum V, 838—856. iam tetigimus.

B. Quae a diis petuntur et conceduntur signa, auguria vocavimus, quorum permulta iam in ostentis faustis complexi sumus. Restant nonnisi responsa deorum vel oracula, quorum per Aeneidem varia ratio exstat. Troiani mittunt II, 114:

Suspensi Eurypylum scitantem oracula Phoebi.

Apollinis Delii oraculum a rege sacerdoteque Anio petit Aeneas III, 85. Quodsi Servianis schedis auctioribus fides habenda est, huius cum Anio coniunctionis antiquiores etiam scriptores mentionem fecerunt, quum alii Anii filiam ab Aenea stupratam filium edidisse narrassent, alii habuisse filium nomine Andron, ad quem Anchises ante Troicum bellum consultum venerit, an Salaminam peteret comes Priamo. In hoc ipso vero oraculo Vergiliano edendo III, 90:

Tremere omnia visa repente,
Liminaque laurusque dei, totusque moveri

Mons circum et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram et vox fertur ad auris. . . . .

Alterum oraculum Apollineum Aeneas ab Heleno III. 359. petit, et 374. accipit. Cuius apud antiquos scriptores mentionem exstitisse testis est Festus s. v. Romam: »Agathocles Cycizenarum rerum conscribtor ait, vaticinio Heleni inpulsum Aeneam Italiam petivisse portantem suam secum neptem Ascani filiam nomine Rhomen.“ Tertium oraculum notissimum illud a Sibylla Cumaea VI, 9. sqq. petitum, quod fortasse iam Naevius in libris belli Poenici habuit, quum et ipse et Piso in annalibus hanc Sibyllam nominasse dicuntur (Lactant. I, 6.). Porro Latinus VII, 81:

Rex sollicitus monstris oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit lucosque sub alta
Consulit Albunea — —
Hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus
In dubiis responsa petunt, huc dona sacerdos
Cum tulit et caesarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis somnosque petivit,
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces fruiturque deorum
Conloquio adque imis Acheronta adfatur Avernis.

Hunc incubandi ritum non solum de Graecis probare possis Cicerone divin. I, 43: „Atque etiam, qui praeerant Lacedaemoniis, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaae fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa incubabant, quia vera quietis oracula ducebant.« sed de Romanis quoque, quum in Capitolio fieri sit solitum. Servius: „Incubare dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda responsa. Unde est (Plaut. Curc. II, 2, 16.): Ille incubat Iovi i. e. dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere.“ Paullus ex Festo: „Cubans auspicatur, qui in lecto quaerit augurium.“ Vergilius non dubito quin illa de tali Fauni oraculo ex Varrone aliove rerum antiquarum indagatore hauserit. Quod enim lucum vel silvam 82. et 95., non templi adyta oraculi locum statuit, consentit cum Varrone L. L. VII. §. 36: „Fauni dei Latinorum, ita ut Faunus et Fauna sit. Hos versibus, quos vocant Saturnios, in silvestribus locis traditum est solitos fari futura, a quo fando Faunos dictos.“

§. 70.

De numeris sacris.

Quum in omnium populorum, tum in antiquorum praesertim vita numeri exstant tam re publica quam religione vitaque privata sanciti, quorum vis partim e legislatoris alicuius ordine et ingenio, partim e naturalibus quibusdam rationibus, e superstitione partim est ducta. Exempla eorum nonnulla apud Vergilium quoque leguntur.

II. Duplices ponuntur res primo, quae ad mortem pertinent. Quod quomodo factum sit, difficile est dictu, quamvis ipsum deorum Manium nomen ad divisionem corporis animique spectare videatur. Eclog. V, 65:

Si bonus o felixque tuis! en quattuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo,
Pocula bina novo spumantia lacte quot annis
Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi.

Hectori Andromache III, 305:

Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.

Anchisae Aeneas V, 77:

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

96:

Caedit binas de more bidentis
Totque sues, totidem nigrantis terga iuvencos.

Ad Pallantis funus XI, 72:

Tum geminas vestes auroque ostroque rigentis
Extulit Aeneas.

Ad mortem non iniuria refertur, quod Cleopatra VIII, 697:

Necdum etiam geminos a tergo respicit anguis.

ubi Servius: „Nondum videbat mortem futuram.“ Allecto quoque VII, 450:

Geminos erexit crinibus anguis.

Nec minus Laocoon duobus anguibus implicatur, Anchisae genium duo angues libro quinto monstrant, quamvis horum alterum exemplum ad fabulam aliquam, alterum ad genium quoque loci pertinere possit. Duplicia deinde saepenumero sunt, quae dono dantur. Eclog. II, 40:

Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti,

Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;
Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.

III, 44:

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit.

cf. 36. Aen. V, 266:

Tertia dona facit geminos ex aere lebetas.

Cic. Verr. IV, 14, 32: „Binos [scyphos sigillatos] habebam." 18, 38: „De hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata, in his pocula duo quaedam, quae Thericlea nominantur." 22, 49: „[Apposuerat] duo pocula non magna, verum tamen cum emblematis." V, 61:

Bina bovom vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in navis.

306:

Gnosia bina dabo levata lucida ferro
Spicula.

quanquam hic numerus ad rem etiam militarem rationem quandam habeat, ut *bina hastilia* 557. IX, 263:

Bina dabo argento perfecta adque aspera signis
Pocula, devicta genitor quae cepit Arisba,
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta.

Alii etiam ordines huius numeri, ut *geminae columbae* Veneris VI, 190. e mythologia, *geminae flammae* circum tempora Augusti e re augurali, alii aliunde petiti sunt.

III. Ternae erant res, quae rem divinam, sacra, magica praesertim attinent. Ipse poeta Eclog. VIII, 75:

Numero deus inpare gaudet.

unde 73:

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hanc altaria circum
Effigiem duco —
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores.

Cf. Tibull. I, 2, 54. Dido in sacris magicis IV, 510:

Ter centum tonat ore deos, Erebumque Chaosque
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.

Ad agrorum per ambarvalia lustrationem Georg. I, 345:

Terque novas circum felix eat hostia fruges.

De lustratione suovetaurili peragenda Dionys. Halic. A. R. IV, 22: Καθαρμὸν αὐτῶν ἐποιήσατο ταύρῳ καὶ κριῷ καὶ τράγῳ τὰ δὲ ἱερεῖα ταῦτα τρὶς περιαχθῆναι περὶ τὸ στρατόπεδον κελεύσας κ. τ. λ. Ad lustrationem in funere peragendam Aeneas VI, 229:

Ter socios pura circumtulit unda.

De funere ipso VI, 506:

Et magna Manis ter voce vocavi.

XI, 188:

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter maestum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.

Deinde ter fieri dicuntur, quae eventum fallunt, quae frustra quaeque infausta fortuna aguntur. Quo dicendi genere totiens Vergilius usus est, ut fere in poeticam formulam fuerit versum. Aeneas Creusae spectro II, 792:

Ter conatus ibi collo dare bracchia circum;
Ter frustra conprensa manus effugit imago.

Cf. VI, 700. Hercules VIII, 230:

Ter totum fervidus ira
Lustrat Aventini montem, ter saxea temptat
Limina nequiquam; ter fessus valle resedit.

Turnus X, 685:

Ter conatus utramque viam; ter maxuma Iuno
Continuit, iuvenemque animo miserata repressit.

Alias rationes, quae minus ad ritus moresque pertinent, omitto.

IIII. Fateor me hoc in numero rationem certam nondum invenisse. Ad sacra inferna pertinere videtur, quod Aeneas VI, 243:

Quattuor hic primum nigrantis terga iuvencos
Constituit.

ubi Donatus: »Numerus autem et color et reliqua, quae adhibentur, pertinent ad rationem sacrificii.“ X, 518:

Quattuor hic iuvenes; totidem, quos educat Ufens,
Viventis rapit, inferias, quos immolet umbris.

Georg. IV, 538:

Quattuor eximios praestanti corpore tauros, —
Et intacta totidem cervice iuvencas.

Ad mortem fortasse praesagiendam dictum est, quod equus Troianus II, 242:

Quater ipso in limine portae
Substitit, adque utero sonitum quater arma dedere.

nisi hoc poetice dictum esse malis. Sed cur quattuor *arae Neptuno* V, 639? Servius putat propter quattuor navium duces positas esse. Utrum propter quadrigas, quibus vehitur? An propter vim subterraneam? Attamen etiam Georg. VI, 541. ad quattuor taurorum iuvencarumque immolationem praecipitur:

Quattuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue.

Quattuor arae Eclog. V, 65., ut vidimus, in duo sunt paria distribuendae, itaque hoc quoque loco duo tauri cum duabus iuvencis Orpheo, duo Euridicae erunt tribuendi. Quattuor equos III, 537. ab Anchisa in gramine visos, et quibus Salmoneus iuvehitur VI, 587., iam supra ad triumphalem currum rettuli. Neque denique negligendum est, quod II, 610—623. quattuor numina, Neptunus, Iuno, Pallas, Iuppiter Troiae excidium parant. Teste Servio Aen. III, 12: »Dii magni sunt Iuppiter, Iuno, Minerva, Mercurius, qui Romae colebantur.«

VII. Hic numerus propter siderum ratione in omni populorum vita magnam habuit vim. E locis Vergilianis paucos tantum seligendos esse duxi, qui ad Apollinem artemque musicam pertinent: Phoebo Dianaeque VI, 38:

Nunc grege de intacto septem mactare iuvencos
Praestiterit, totidem lectas de more bidentis.

Threicius sacerdos 646:

Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Eclog. II, 36:

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Septena tela X, 329. iam explicavimus. Aeneae septem naves I, 170. servantur; septem cervos 192. sternit et in illas naves distribuit. Anguis faustus V, 85:

Septem ingens gyros, septena volumina traxit.

Talia in consuetudinem fere loquendi abeunt nullo consilio arcano inhaerente.

XII. Hic numerus, quum in mensibus anni, prodigiis (Suetou. Aug. 94: „bis senis equis.“) variisque Romanorum institutis fuerit adhibitus, variis rationibus a Vergilio quoque usurpatur. Ad menses anni pertinet Eclog. I, 43:

Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.

Teste Macrobio I, 9: »Varro libro quinto (fr. p. 206.) rerum humanarum scribit, Iano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas.« Pertinent deinde ad originem a Sole avo, quod Latini tempora XII, 163:

Aurati bis sex radii fulgentia cingunt.

ad Romuli augurium duodecim cycni I, 393., ad publica instituta, quod XI, 133: *bis senos pepigere dies* indutiarum causa, ad alia reliqua.

XX. Viginti navibus Aeneas I, 381. Troia vectus est, bis denas ipsi restituturus est Latinus XI, 326., sed quod Dido I, 633:

Sociis ad litora mittit
Viginti tauros, pinguis centum cum matribus agnos.

ut centum ad ἑκατομβήν pertinent, fortasse ad praeceptum aliquod sacerdotale est referendum. Nam apud Livium XLI, 28. ob res prospere gestas in Hispania ductu auspicioque Ap. Claudii proconsulis: »maioribus hostiis viginti sacrificatum.“ Viginti Turni comites IX, 48. supra ut fetiales cognovimus.

Quae restant, ut numeri triginta suum et annorum, trecentorum annorum partim ad historias fabulasque revocanda sunt, partim, ut numerus centenarius rationem nullam definitam in se continent. Est aliquid semper poetae ingenio et lubidini concedendum.

IIII.

De vita privata.

Italiam! Italiam!
III, 523.

atque in universum est animadvertendum, has tres esse virtutes a Vergilio maxime laudatas, quibus frugalis quaedam in omni vita continentia quarto loco accedat.

Ivstitia in agendo, quae in verbis *fides* ab ipso appellatur, innumeris locis a poeta praecipitur. In inferis VI, 618:

Phlegyasque miserrimus omnis
Admonet et magna testatur voce per umbras:
Discite iustitiam moniti . . . . . .

Aeneas laudibus ob hanc effertur et l. l. et XI, 125:

Vir Troiane, quibus caelo te laudibus aequem?
Iustitiaene prius mirer, belline laborum?

ubi fortitudo opponitur. Alii etiam II, 426:

Caedit et Rhipeus, iustissimus unus
Qui fuit in Teucris et servantissimus aequi.

ubi aequitas additur. VII, 585:

Seniorque Galaesus,
Dum paci medium se offert, iustissimus unus
Qui fuit Ausoniisque olim ditissimus arvis.

Troiani, qui Romanorum maiores, semper iustitia insignes a Marone perhibentur, Graeci contra ob iniustitiam, ob insidias dolosque vituperantur praesertim in illa Aeneae de Troiae excidio narratione. Iam Dido I, 753:

Immo age, et a prima dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaum.

Cf. II, 36. 65. 310. II, 44. 152:

Ille dolis instructus et arte Pelasga.

Poeta de sui temporis iniustitia queritur Georg II, 473:

Extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Ibi adhuc II, 467: *nescia fallere vita.* Cul. 524:

Et rure recessit
Iustitia et prior illa fides?

Aen. I, 603:

Si quid
Usquam iustitiast et mens sibi conscia recti.

II, 142:

Per, si quast, quae restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides.

IV, 373:

Nusquam tuta fides.

Sperat poeta, fore ut aliquando in terram redeat. Cecinit iam in Eclog. IV, 6:

Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna

Virginem Astraeam puta; in Augusti principatu Aen. I, 292:

Cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt.

Attamen alia est quaestio, utrum poeta, quam in ipso Aenea praedicare voluit, iustitiam revera ita servaverit, ut omnes ipsius actiones ad hanc quasi obrussam examinatae fidem incorruptam revera prodant. Patet, Aeneam in omni vita ab ipso ut Augusti exemplar adumbrari. Sed in his laudibus poeta magnopere lapsus est. Quae enim fabulae ab ipso exprimendae perhibuerunt, quaeque exprimere ipse voluit, ea sibi contrarie erant opposita. Quae enim ista est iustitia, quod Aeneas uxorem Creusam relinquit, voluptate delinitus Didonem, quae omnibus eum donis, honoribus cumulat, stupratur, dehinc deserit Mercurio compellante, quod Turno sponsam eripit, deinde eum occidit! At — haec omnia deorum voluntate, fato eum Italiam compellente excusantur, cuius observantia pietatem Aeneae efficit.

II. Pietas quoque a Marone commendatur VI, 620:

Discite iustitiam moniti et non temnere divos.

Innumeris locis Aeneas ob eam quoque miro modo celebratur, quos enumerari supervacaneum est. Ipse se Aeneas pium nominat, eundem poeta pietate insignem. Verum si hic quoque, quae eius fuerit pietas, quaeramus, inest animo herois reverentia quaedam nimia fortasse erga omnem divinae voluntatis factam sibi mentionem; prodigia omnia, somnia quaecunque sectatur, deos apparentes audit; sacrificia cum anxietate metuque ubicunque peragit, quibus peragendis et docendis etiam Romanae superstitionis maximus auctor a scriptoribus describebatur et a poeta describitur. In his quoque Augustus, nisi fallor, animo Maronis obversatus est, qui (Sueton. 75.) »festos et sollemnes dies profusissime, nonnunquam iculariter tantum, celebrabat,« qui (Sueton. 92.) »auspicia quaedam et omina pro certissimis observabat.« Denique Aeneas Anchisem e Troia humeris exportat, quod nobis risum potius, quam admirationem movet; sed fabulis Romanis numisque erat sancitum. Deest in hac pietate omnis fere libera rerum gestarum appetentia ac voluntas. Clementiam quoque et liberalitatem poeta delineandam sibi proposuit partim ludis Sicilianis instruendis, partim pace olim concedenda; sed ea quoque animum lectoris non eo, quo voluit, adfectu tangunt.

III. FORTITVDO de Aenea quoque praedicatur, quo nemo (I, 545.) *bello maior et armis,* quem mirantur (XI, 126.) *belli laborum* gratia, qui arma in Troiae incendio arripit multos occisurus, qui Turnum trucidat. Cf. XI, 283:

Experto credite, quantus
In clipeum adsurgat, quo turbine torqueat hastam.

Verum enim vero acrius dispicienti illa maxime deesse videbitur regi Troiano virtus. Ubique enim non ipsius merita factaque res ad eventum perducunt, sed deorum interventus; lamentatur interdum heros feminae potius more, quam viri,—ignem per naves sparsum Iuppiter pluvius restinguit,—in infernos duce fabuloso quodam ramo descendit, auxilia ubique conquirit, caelitum semper numine fretus omnia perficit. Ubi periculis cingitur, aliorum manu eripitur. Quantopere Turnus distat! Quam fortis ille atque acer, qui suo quodam impulsu, sua ira accensus patriam terram ab advenis defendere, sponsam sibi e manu externi cuiusdam advenae servare conatur! Non dubito, quin poeta eum voluerit macula aliqua notare, attamen evasit revera non poetica quaedam phantasiae fictio, sed viri fortis imago, qui calamitate paene oppressus animum indefatigatum, inconcussum exhibet. Quodsi Turnum victum palmas tendisse XII, 936. narrat, quum non conveniat omni eius consuetudini et indoli, lector poetae fidem derogat. Camillae quoque viraginis audacia et fortitudo felicius carmini videtur esse intexta. Ceterum descriptione interdum ornatissima usus est Vergilius in simplici et infucata illa antiquorum populorum virtute describenda v. g. quam Numanus laudat Italorum IX, 603:

Durum ab stirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus saevoque gelu duramus et undis;
Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant;
Flectere ludus equos et spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque adsueta iuventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello . . . .

usque ad v. 613. Italiam praedicat Georg. II, 167:

Haec genus acre virum, Marsos pubemque Sabellam,
Adsuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit, haec Decios, Marios magnosque Camillos.

II, 530:

Corporaque agresti nudant praedura palestrae.

Temporibus luxurie marcentibus poetae talia amant et prae se ferunt priscae virtutis exempla.

IV. Continentia denique et in omni vita parsimonia ac frugalitas fortitudini coniuncta esse dicitur, quam quidem non tam illis advenis Phrygibus, quam Italis ipsis tribuit, quorum IX, 607. *parvo adsueta iuventus*, cui comparetur agrestium Georg. II, 472:

Et patiens operum exiguoque adsueta iuventus.

Detestatur poeta III, 57. *auri sacram famem.* Post aevum Saturnium VIII, 327:

Et belli rabies et amor successit habendi.

Evander Aeneam hortatur VIII, 364:

Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge deo, rebusque veni non asper egenis.

Amat poeta, ut brevi dicam, simplicem cultum victumque narrare, ut in Eclogis, in Moreto, in illo de Evandro loco. Aeneae autem omnia splendida ac magnifica tribuit.

Omnino poeta in his virtutibus adoptandis Stoicam quandam vel Romanam potius indolem sectatus est, in personarum vero indole exprimenda minus prospero successu usus est.

§. 72.

De aedibus Romanis.

Aedium privatarum per Aeneidem conformatio neque ex Homeri carminibus derivata esse potest, quippe quae non tam dilucida expositione eas describant, ut imaginem expressis lineis ductam animo concipi liceat, neque e Graecorum domo posterioris temporis, cuius nulla conspicienda sunt vestigia. Quid vero veri similius, quam poetae menti habitacula et cubicula ea, quibus vitam degebat, magnificas illas constructiones, quas cottidie oculis intuebatur, ita insedisse, ut vi quadam naturali familiarique ad ea adumbranda cogeretur. Et revera ita queunt, nisi consulto Romanum malis in Graeca quaelibet abripere, ad patrium morem revocari, ut a primo introitu ad extremum usque exitum quasi conspirante et conflato consensu omnia conspirent.

Primum statim limen sancti quid in se continebat; limine pelli summa habebatur civis Romani iniuria. Cic. pro Caecin. 12. §. 35: »Quaero, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines et armati non modo limine tectoque aedium tuarum, sed primo aditu vestibuloque prohibuerint, quid acturus sis.« Iuvenal. III, 124: »Limine submoveor.« Inde Turnus queritur VII, 579:

Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.

Georg. II, 510:

Gaudent perfusi sanguine fratrum
Exsilioque domos et dulcia limina mutant.

Eclog. VIII, 92:

Pignora cara sui, quae nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando.

Ex hoc sensu explicanda advenientis Aeneae laetitia III, 350:

Pergama et arentem Xanthi cognomine rivom
Adgnosco Scaeaeque amplector limina portae:

discedentium mulierum lamentatio II, 490:

Amplexaeque tenent postis adque oscula figunt.

Limina vero ipsa postesque aere confectae vel vestitae, cardines ipsi saepius aerei erant. »Cautum enim fuerat, ait Servius ad Aen. I, 449., post proditum hostibus a Tarpeia virgine Capitolium, ut aerei cardines fierent, quorum stridor posset aperta ostia omnibus indicare.« Quapropter non sine respectu ad Capitolium Romanum de illo Carthaginis Capitolio — hic enim quoque caput effossum fuisse narrat I, 444. — et Iunonis templo praedicat 448:

Aerea cui gradibus surgebant limina nexaeque
Aere trabes, foribus cardo stridebat aenis.

Quod quamvis publici sit aedificii, hic tamen addere iuvabit. Ad ipsam illam historiam respexisse videtur Cir. 220:

Surgere sensit anus; sonitum nam fecerat illi
Marmoreo aeratus stridens in limine cardo.

Pyrrhus aedium Priami II, 480:

Limina perrumpit postisque a cardine vellit
Aeratos.

Similia narrat Plinius N. H. XXXIV, 7: »Prisci limina etiam ac valvas ex aere in templis factitavere — — Quin etiam privata opulentia eo modo usurpata est. Camillo inter crimina obiecit Sp. Carvilius quaestor, quod aerata ostia haberet in domo.« Immo etiam VII, 622:

Belli ferratos rumpit Saturnia postis.

Cui consentit I, 293:

Dirae ferro et compagibus artis
Claudentur Belli portae.

Ceterum cardines aerei non eo, quo nostrarum forium, modo facti erant, non in postibus sed in ipso limine et trabe immissi haerebant, iis similes, quos nostrates altis adhuc portis infigunt. Talium Pompeiis Herculanique reperta sunt exempla, tales animo sibi finxit poeta II, 480. 493. III, 448. VI, 573. VII, 621. IX, 724.

Postibus ipsis figebantur saepenumero spolia occisorum hostium e victoria reportata, de quo more iam supra §. 50. disserui.

Portas vero ipsas vel urbium vel aedium magnarum sine dubio ex aere confectas in animo habuit poeta. *Miratur portas* Carthaginis Aeneas I, 422. Immo ex auro fingit VI, 32. magnificum illum apparatum VI, 20:

In foribus letum Androgeo, tum pendere poenas
Cecropidae iussi.

porro expressam in altera parte Cretam, amorem tauri, Pasiphaen, Minotaurum, Labyrinthum. Cuius anaglyphi nescio an Vergilius exemplum prae oculis inter tot tantae urbis monumenta habuerit, quemadmodum in illo quoque, quod ipse se aedificaturum esse pollicetur, Caesaris templo Georg. III, 26:

In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam victorisque arma Quirini,
Adque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum ac navali surgentis aere columnas.
Addam urbes Asiae domitas . . . . . .

ubi inprimis fores templi Apollinis Palatini anno DCCXXV. dedicati in animo habuisse dicitur.

Prima aedium pars vestibulum erat, de qua, quamvis antiqui ipsi in ambiguo essent, quum alii atrium id esse dicerent, alii non in ipsis aedibus, neque partem aedium, sed locum ante ianuam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque ad aedes est, id tamen statuendum erit, apud Vergilium cubiculum illud significari, quo portae custos morabatur, revera igitur ad tecta aedium pertinere. Quod patet e VI, 273:

Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae.

II, 469:

Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus.

VI, 555:

Tisiphoneque sedens palla succincta cruenta
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.

VI, 573:

Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae
Panduntur portae. Cernis custodia qualis
Vestibulo sedeat, facies quae limina servet.

Adde Cir. 216:

Vestibulo in thalami paulum remoratur.

Loco ianitoris vero, cuius postea mentio amplior erit iniicienda, in aedium Romanarum vestibulo vel canis aderat, vel saltem depictus. Nota est e Petronio Pompeianoque lithostroto inscriptio CAVE. CANEM., quibus fragmentum addas e Varronis Eumenid. p. 275: »Quod ea die mea erat praebitio, in ianuam CAVE. CANEM. inscribi iubeo.« Evandro Vergilius tribuit duos canes VIII, 461:

Nec non et gemini custodes limine ab alto
Praecedunt gressumque canes comitantur erilem.

Vestibulo poeta tribuere videtur avorum etiam imagines VII, 177:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e caedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex Ianique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando volnera passi.

Imagines, statuas praesertim, interdum in vestibulo fuisse videmus e Plin. N. H. XXXIV, 13: »Annius Fetialis, equestrem, quae fuerit contra Iovis Statoris aedem in vestibulo Superbi domus, Valeriae fuisse Publicolae consulis filiae.« Iuvenal. VII, 125:

Huius enim [Aemilii] stat currus aeneus, alti
Quadriiuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur.

Sueton. Nero. 31: »Vestibulum eius [aureae domus] fuit, in quo colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie.« Sed hae partim non erant avorum imagines, partim statuae maiores, quae nonnisi in magnis vestibulis i. e. areis poni potuerunt. Quae vero apud Vergilium nominantur effigies, minores fuisse videntur, neque in vestibulo stabant, sed vestibulo adstabant i. e. in ea parte atrii, quae vestibulum attingeret. Audimus enim 168. Latinum imperasse, ut Aeneas *intra tecta* vocaretur, ubi *solio medius consedit avito.* Quod solium nequaquam in ipso vestibulo, ut apud Homerum ἱερὸς κύκλος ante ianuam, sed in tectis i. e. atrio fuisse certo adfirmari potest. Vergilius igitur, quum in atrio avorum imagines collocet, morem servavit omni antiquitate Romana sancitum. Audi Plin. N. H. XXXV, 2: »Aliter apud maiores in atriis haec erant, quae spectarentur, non signa externorum artificum, nec aera aut marmora, expressi cera vultus singulis disponebantur armariis.« Ovid. Fast. I, 591:

Perlege dispositas generosa per atria ceras.

Mutavit Maro ceram in caedrum, ut vestutissima esse ξόανα indicaret. Cf. Plin. N. H. XVI, 79.

Verum enim vero his ipsis imaginibus considerandis in alteram eamque maiorem domus Romanae partem progressi sumus, atrium dico. Quod si verum est, quod atriis, ut ait Vitruvius VI, 10., Graeci non utuntur, ii Aeneidis certe loci, quibus hanc vocem poeta adhibuit, Romanarum sane aedium morem produnt. In convivio Didonis I, 725:

Fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant
Atria.

In Priami aedibus porta excisa II, 483:

Adparet domus intus et atria longa patescunt.

Atque quum columnis atrii laquearia et tecta saepenumero sustententur vel ornentur, porticus etiam interdum ad atria audimus additas. Ita Polites II, 528:

Porticibus longis fugit et vacua atria lustrat.

XII, 473:

Nigra velut magnas domini cum divitis aedes
Pervolat et pinnis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens nidisque loquacibus escas,
Et nunc porticibus vacuis, nunc umida circum
Stagna sonat.

ubi stagna umida eas esse aquas, quae in compluvii labrum vel puteum cadant, iam olim conieci. Quae labra, quum aenea possint esse, poeta fortasse in animo habuit VIII, 22. scribens:

Sicut aquae tremulum labris ubi lumen aenis
Sole repercussum aut radiantis imagine Lunae
Omnia pervolitat late loca, iamque sub auras
Erigitur summique ferit laquearia tecti.

Laquearia enim maioribus praesertim aedificiis propria esse videntur, atque atriis coniunguntur etiam I, 725:

Vocemque per ampla volutant
Atria; dependent lychni laquearibus aureis.

Ut laquearia aurea, ita II, 448:

Auratasque trabes, veterum decora alta parentum
Devolvont.

Cf. Cul. 13:

Si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum.

Ceterum laquearia vel tecta laqueata aliis etiam Romanorum poetis usurpantur v. g. Ennio Andromach. fr. 4. (Both.) v. 10. Horat.

carm. II, 16, 11. Lucret. II, 28. Ianssen inscript. Gr. et Latin. Lugd. 1842. Tab. XI, 2: AEDEM. TRIVM. CAMERARVM. VETVSTATE. COLLAPSAM. ADDITO. CVLTV. MELIORI. LAQVEARIORVM. PECVNIA. PROPRIA. REFORMAVIT. SPL. COL. VTIK.

Quaeri autem potest, annon poeta, ut Plautino verbo utar, graecissaverit, quum Graeco vocabulo aulae interdum usus sit, v. g. III, 354:

Aulai medio libabant pocula Bacchi.

Sed si versum consideraveris praecedentem:

Illos porticibus rex accipiebat in amplis.

vix dubitabis, Maronem atrium ipsum, regium praesertim ita appellasse. Servius: »Aula autem, ait, proprie dicitur, quae concluditur porticibus quattuor.« De rege ventorum poeta I, 140:

Illa se iactet in aula
Aeolus et clauso ventorum carcere regnet.

Dido regina IV, 328:

Si quis mihi parvolus aula
Luderet Aeneas.

Georg. II, 504:

Penetrant aulas et limina regum.

IV, 90:

Melior vacua sine regnet in aula.

Quodsi aulam velis poetae Romani menti studio epicorum poetarum Graecorum inhaesisse, eodem iure possis *thalamos*, quos Vergilius saepenumero commemorat v. g. II, 503. IV, 392. VI, 521. VIII, 372., ad morem Graecum referre; at ne obliviscaris quaeso vocem cubiculum a poeta iam metri causa non potuisse adhiberi. Ceterum de arbore sacra in atrio medio iam supra §. 58. monuimus.

Cavaedium porro alii scriptores atrio coniunxerunt, poeta ad domus penetralia videtur relegasse II, 487:

Penitusque cavae plangoribus aedes
Femineis ululant.

Significatur enim versu praecedente *domus interior;* feminas postea 515. videmus circum penatium aram esse congregatas. (Unde argutior aliquis efficere possit, habitationem mulierum non ut apud Graecos Homerumque in *ὑπερῴῳ*, sed in ipso atrio vel penetralibus a poeta cogitari. In universum monendum est, cubiculorum in superiori aliqua contignatione apud Vergilium vestigium nullum exstare.) Cavaedium autem tam subtiliter a poeta per vocabula *cavae aedes* indicatur, quemadmodum confeta sus per verba *cum fetu sus*, reges Aboriginum per *ab origine reges.* Quae praeterea

penetralia vel *interior domus*, *intra tecta* frequenter a poeta dicuntur, ea pro tempore modoque vel ad atrium, vel ad peristylia, vel ad spatia nequaquam certo definienda interiora omnino erunt revocanda. Fastigia tamen, quae tectis non raro tribuuntur v. g. I, 438. II, 303. 444. 458. 758. VIII, 366. 491., quum Homerica saltem aedificia plano tecto videantur fuisse instructa, a Roma fastigiata orta esse concedes. *Fauces Orci* iam Gellius XVI, 5. iter angustum explicavit.

Restat denique posticum, quo Horat. epist. I, 5, 31., ut cliens atria servans fallatur, suadet. Haec ipsa porta in Priami aedibus non deest II, 453:

Limen erat caecaeque fores et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo. . .

ut aedes Romanas a primo aditu ad extremum exitum animo poetae obversatas esse perspicias.

§. 73.

De gentibus Romanis.

Quemadmodum singularem sibi hominum Italorum Maro conciliavit favorem omnes fere Italiae populos nominando, laudando, eundem in modum nobilium Romanorum studium eo, quod modo historia illa Romana libro sexto et octavo intexta eorum avos laude et honore cumulavit, modo heroes Troianos quosdam et gentium auctores carmine celebravit. Quibus rationibus tangitur gens

IVLIA. Integra fere Aeneis in huius gloriam fuit composita. Duo insigniores sunt loci VI, 790:

Hic Caesar et omnis Iuli
Progenies, magnum caeli ventura sub axem.

I, 288:

Iulius, a magno demissum nomen Iulo.

CLAVDIA. VII, 706:

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar,
Claudia a quo nunc diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.

Rem narrat Liv. II, 16: „Namque Attus Clausus, cui postea Ap. Claudio fuit Romae nomen — — Romam transfugit. His civitas data agerque trans Anienem, vetus Claudia tribus, additis postea novis tribulibus, qui ex eo venirent agro, appellata.«

15 *

Memmia. Inter navium rectores est V, 117:

Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi.

Quod in Sicilia ipsa Mnestheus, auctor gentis Memmiae, certamen navale init, non sine ratione fictum esse videtur, quum C. Memmius Gallus anno V. C. DLXXX. Siciliam provinciam obtinuerit. Cf. Liv. XLII, 10. Eodem anno C. Licinio praetori negotium datum est, ut naves quinquaginta pararet. »Si quid ad eum numerum explendum deesset, C. Memmio collegae in Siciliam scriberet, ut eas, quae in Sicilia naves essent, reficeret atque expediret.« Liv. XLII, 27. Numus huius gentis (Morelli. Memm. 3.) exstat, cuius A. caput coronatum monstrat, R. navis proram cum Victoria coronam porrigente. Supra scriptum est S. L. MEMMI. infra ROMA.

Sergia. Deligitur ad certamen navale V, 121:

Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen.

Cuius infelicem casum, quum in saxo navis haereret 200., ratione Catilinae habita fictum esse, paene adfirmaverim, quum VIII, 668. eundem *minaci pendentem scopulo* appellet.

Cluentia. Invehitur V, 122;

Scyllaque Cloanthus
Caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.

Gegania. Quum tres nominentur certaminis Siculi navalis auctores, gentium quoque auctores designentur, Mnestheus, Sergestus, Cloanthus, non dubitandum, quin quartus, qui additur, Gyas tacite a poeta eodem modo significetur. Etenim impellit V, 118:

Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram.

Servius: »Et bene laudat familias nobilium; nam a Sergio [Sergesto ?] Sergia familia fuit, a Cloantho Cluentia, a Gya Gegania, cuius nunc facit mentionem. Nobiles autem familias a Troianis fuisse, Iuvenalis ostendit, ut (I, 99.): Iubet a praecone vocari Ipsos Troiugenas.« Nominat bis uno versu I, 222. et 612. *fortemque Gyan fortemque Cloanthum.*

Atia. Inter illos, qui Troiam certamen ludunt, nominatur V, 568:

Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,
Parvos Atys pueroque puer dilectus Iulo.

Quod gentem Iuliam Atiamque antiquissimo tempore amicas reddit, non sine causa fecisse existimandus est poeta. Bene iam Servius: »Propter Atiam dicit, matrem Augusti — — Vult enim eius etiam maternum esse genus antiquissimum.«

NAVTIA. Responsa dat V, 704:

Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit multaque insignem reddidit arte.

Certo adfirmandum est, Maronem Nauten induxisse propter Nautiorum familiam. Cf. Serv. ad Aen. III, 406: »Palladium Nautes accepit; unde Nautiorum [sic legendum, non Nautarum] familia Minervae sacra servabat.« Paullus ex Festo: »Nautiorum familia a Troianis dicitur oriunda.« Servius ad nostrum locum: »Ipse Romam Palladium detulit. Unde Nautiorum familia Minervae sacra retinebat, quod etiam Varro docet in libris quos de familiis Troianis scripsit.«

POTITIA. PINARIA. VIII, 269:

Servavere diem primusque Potitius auctor
Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

Livio I, 7. auctore Potitii et Pinarii iam Evandri tempore sacris Herculis adhibiti sunt, sed ita ut Pinarium genus, quum ad tempus non praesto essent, extis sollemnium non vescerentur. Tradit IX, 29. Potitios postea servos publicos ministerii delegandi causa sollemnia eius sacri docuisse, sed intra annum omnes puberes ad triginta, quum duodecim familiae ea tempestate Potitiorum essent, exstinctos. Remansit igitur Pinariorum gens, quam Vergilium non sine ratione custodem appellasse vides.

CORNELIA. PORCIA. Probe Vergilius causam noverat, de qua Cossum, Gracchos, Scipiones coniungeret VI, 842:

Quis te, magne Cato, tacitum, aut te C o s s e relinquat?
Quis G r a c c h i genus, aut geminos, duo fulmina belli,
S c i p i a d a s, cladem Libyae.

Hi omnes enim magnae erant Corneliae gentis. Catonem dedit Porciae gentis causa. Cf. VIII, 670.

Aliae quaedam gentes coniectura tantum sunt adsequendae v. g. ANTIORVM. CAECILIORVM. Aeneas I, 181:

Prospectum late pelago petit, A n t h e a si quem
Iactatum vento videat Phrygiasque biremis,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma C a i c i.

nisi potius Caeculus X, 544. ad gentem Caeciliam referatur. Valerus X. 752. potuit esse auctor gentis Valeriae. Sed haec lubrica sunt ac fallacia.

§. 74.

De servis.

Hominum liberorum servorumque discrimen poeta quum ex omni antiquitate, tum e patria habuit. Bello captas describit III, 321—329:

Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.

Cir. 442:

Mene inter matres ancillaresque maritas
Mene alias inter famularum munere fungi — —
At belli saltem captivam lege necasses!

Memoratu tamen dignum videtur vocem servi nusquam, bis servae (IX, 546. V, 284.), leniorem famuli saepius apud eum legi, dignius varia servorum genera quodammodo posse discerni. Etenim ante omnes nominandus est ostiarius vel ianitor, qui et locis supra §. 72. allatis saepiusque memoratur. Cf. VIII, 296:

Te Stygii tremuere lacus, te ianitor Orci.

VI, 424:

Occupat Aeneas aditum custode sepulto.

402:

Casta licet patrui servet Proserpina limen.

IX, 647:

Hic Dardanio Anchisae
Armiger ante fuit fidusque ad limina custos;
Tum comitem Ascanio pater addidit.

ubi Servius: »Aedituus fuit, quod, ut supra (I, 726.) diximus, in ingenti honore apud maiores fuit. Illic enim et epulabantur et deos celebrabant.«

Alii tricliniarii et cellarii et promi condi videntur ii praesertim vel eae potius, qaae conviviorum descriptione nominantur I, 701:

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longam
Cura penum struere et flammis adolere Penates.

De posterioribus cf. Plaut. Pseudol. II, 2, 13: »Condus promus sum, procurator peni.« Servius addit structores dici ferculorum compositores. Porro nominantur 705:

Centum aliae totidemque pares aetate ministri,
Qui dapibus mensas onerent et pocula ponant.

ubi non numerum solum, sed aetatem aequalem e luxuria sui temporis poeta videtur descripsisse. Numerus quoque aliquantum ab Homericis Od. VII, 104. sqq. differt, quum Vergilius quinquaginta addiderit centum famulas centumque ministros. Adsunt igitur saltem ducenti quinquaginta apparitores. Servi servaeque cubiculares indicantur Didonis IV, 391:

Suscipiunt famulae, conlapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo stratisque reponunt.

Latini VIII, 584:

Famuli conlapsum in tecta ferebant.

Aliud famularum officium describitur in comparatione illa dulcissima de matrona integras noctes vigilante VIII, 411:

Noctem addens operi famulasque ad lumina longo
Exercet penso.

Talis famulae, quae textrinae gnara, est etiam alia mentio V, 284:

Olli serva datur, operum haud ignara Minervae
Cressa genus, Pholoe, geminique sub ubere nati.

§. 75.

De nominibus.

Pauca de nominibus sunt monenda, quum posterius Romanorum trium nominum institutum poeta nequaquam carmini potuerit intrudere. Videtur tamen et apud Graecos et Romanos in usu fuisse, ut avi nomen nepoti concederetur. Cf. Spartian. Antonin. Get. 2: »Geta autem dictus est vel a patrui nomine, vel avi paterni.« Inde in Troiae ludo V, 564:

Nomen avi referens Priamus.

Eumedes XII, 348:

Nomine avom referens, animo manibusque parentem.

Cf. Serv. ad Aen. IX, 362: »*Suo moriens dat habere nepoti*, Remulo, quem supra avo cognominem diximus.«

Deinde etiam διώνυμα quaedam memorantur, sed rariora. Ut enim Ἀλέξανδρος etiam Πάρις, ita Iulus idem qui Ascanius. I, 267:

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur.

Dicitur porro IX, 592:

Ascanius fortemque manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat.

Sed talia e fontibus suis potius, quam e popularium antiquo more hausit poeta.

§. 76.

De iure privato.

Quae hic illic occurrunt legum in carminibus Vergilianis momenta, ea non e iure aliquo Graeco sed Romano ipso deducta esse, iam antiqui viderunt iuris consulti et indagatores. Martianus enim, in Digest. I, 8. fr. 7. de Aeneidis loco III, 300—305. haec profert: »Cenotaphium quoque magis placet locum esse religiosum, sicut testis in ea re est Vergilius.« et Aulus Gellius N. A. III, 2: »Isthaec autem omnia [de dierum temporibus et finibus] ad observationem disciplinamque iuris antiqui pertinentia, quum in libris veterum inveniremus, non dubitamus, quin Vergilius quoque id ipsum ostenderit, non exposite atque aperte, sed ut hominem decuit poeticas res agentem, recondita et quasi operta veteris ritus significatione.« Singula perscrutemur.

I. Inter quinque illas antiquas legis actiones una exstitit, quae manus iniectio erat appellata. Cf. Gaius IV. §. 21. Quam a poeta fuisse spectatam aliquis perhibere possit X, 419:

Iniecere manum Parcae telisque sacrarunt
Evandri.

ubi Servius: »Traxerunt debitum sibi, et sermone usus est iuris; nam manus iniectio dicitur, quotiens nulla iudicis auctoritate exspectata rem nobis debitam vindicamus.« Macrob. III, 7: »Nam ex manus iniectione paene mancipium designavit, et sacrationis vocabulo observantiam divini iuris implevit.« Cf. Ovid. Amor. I, 4, 39:

Oscula si dederis, fiam manifestus amator,
Et dicam: Mea sunt, iniiciamque manus.

III, 9, 19:

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras iniicit illa manus.

Actiones ipsas occasione Aen. libri VI. supra iam §. 13. de quaesitore et iudice disputantes explicavimus. Illud unum notato, non iudiciorum tantum rationem, sed criminum etiam seriem VI, 608—613. 621—624. mentem aevi Augustei spirare, quo tot tantaque iam erant commissa. Primus quidem versus 608:

Hic quibus invisi fratres, dum vita manebat.

a Servio generaliter dictus esse perhibetur, ita tamen ut possit ad Aegyptum et Danaum, Atreum et Thyesten, Eteoclen et Polynicem referri. Verum enim vero si similem illam morum eius tem-

poris corruptorum adumbrationem Georg. II, 503—512. consideras versumque inprimis 510:

Pulsatusve parens et fraus innexa clienti.

haud dubitabis, quin certa cladis Marianae vel Sullanae vel etiam triumviratus actio animo poetae sit observata. Cf. Flor. IV, 6: „Quis pro indignitate rei non ingemiscat, quum Antonius Lucium Caesarem avunculum suum, Lepidus Lucium Paullum fratrem proscripserint?" 609:

Pulsatusve parens et fraus innexa clienti.

Prius crimen Servius ad Oedipum Laii exstinctorem rettulit, sed ipse sensit levius hoc loco dici *pulsatus* parricidii comparatione. Utrumque crimen e legibus Romanis videtur esse adumbratum. In regis Servii Tullii legibus teste Festo scriptum erat: Si parentem puer verberit, ast olle plorassit, puer divis parentum sacer estod. Cf. Senec. controv. IX, 2: „Qui patrem pulsaverit, manus ei praecidantur." Ad alterum referendum est, quod Servius e lege XII Tabularum adfert: Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto. Ex quo posteriore exemplo manifestiore certior fit prioris ratio de parente laeso. Certiores igitur facti sumus, etiam sequentes versus ad Romanorum vel historiam vel legem spectare:

Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, quae maxima turbast.

Tu confer Georg. II, 507:

Condit opes alius defossoque incubat auro.

Porro puniuntur Aen. VI, 612:

Quique ob adulterium caesi, quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras.

De primo crimine Servius: „Si occisi, Aegisthum significat Thyestae filium, si revera caesi, Salustium, quem Milo deprehensum sub servili habitu verberavit in adulterio suae uxoris, filiae Sullae." Caesi dictum puto pro occisi, ut saepius apud Vergilium atque in universum earum civitatium instituta spectari, quibus adulteros deprehensos necari licebat a maritis. Eadem ratione *qui arma secuti impia* in universum ii sunt, qui adversus patriam bella civilia commoverunt, quod Romae saepenumero factum esse scimus, nulla singuli alicuius dictatoris ratione habita. Etenim, ut Georg. II, 505. ait:

Hic petit excidiis urbem miserosque Penatis,
Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro.

Atque Aen. VI, 621:

Vendidit hic auro patriam dominumque potentem
Inposuit, fixit leges pretio adque refixit.

ubi Servius: „Vendidit Curio Caesari viginti septem milibus sestertiis Romam.“ De posteriore sententia ad Antonium referenda videas supra §. 2. de iure dicundo. Illi vero, qui tertio loco *nec veriti dominorum fallere dextras*, nescio an ex illa lege XII Tabularum sint deprompti: Sei servos sciente domino furtum faxsit noxsiamve noxsit, noxsai dedito, quemadmodum sane fieri potuerit, ut integri illi versus 608—613. ad has tabulas fuerint adumbrati. Denique versum 623:

Hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos.

Servius refert ad Thyestem et Cinyram: »Nam quod Donatus dicit, nefas est credi, dictum esse de Tullio.« Ad leges etiam Romanas spectasse poetam arbitrantur Aen. IV, 492., ubi Dido:

Testor, cara, deos et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artis.

Servius: „Quia, quum multa sacra Romani reciperent, semper magica damnarunt.“ In XII Tabulis scriptum erat: Qui malom carmen incantassit malomque venenom faxsit duitve, kapital esto. Fortasse huc etiam advocandus est XII, 603:

Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.

ubi idem interpres: „Sane sciendum, quia cautum fuerat in pontificalibus libris, ut, qui laqueo vitam finisset, insepultus abiiceretur, unde bene ait *informis leti*, quasi infamissimae.“

II. Obligationum apud Romanos notissima est locatio conductio, ad quam referendam esse quisque videt XII, 520:

Conductaque pater tellure serebat.

(In illo quoque II, 453: „*pervius usus Tectorum* Servius verbum iuris *usus* agnovit, quum via, actus, usus discernantur, nescio an iniuria.) Promissionis vel stipulationis exemplum habemus IX, 296., ubi Iulus pollicetur:

Spondeo digna tuis ingentibus omnia coeptis.

Codicum quorundam lectio *Sponde* servari non posse arbitror ratione integrae sententiae habita; nihil enim Euryalus promittit, sed orat tantum de matre solanda, neque dici potest Latine suis coeptis digna spondere pro exspectare. Ascanius vero statim sententia sequenti, quae spondet, enarrat, coniunctione *namque* omnino posteriorem cum priore connectens. Repetit versu 301. *polliceor*, ita ut haud videam, quemadmodum vir quisquam doctus de hac re possit dubitare. At inest difficultas metrica. Vergilius enim praeterquam in vocabulis *duo*, *ego*, *nescio*, *scio* nusquam O finale cor-

ripuit. Recte iam monitum est, neque in *scio*, *nescio* correptam esse, sed per synizesin pronuntiatam fuisse syllabam. Quid? quod in *spondeo* quoque per synizesin pronuntiata fuit, elisa littera E, quemadmodum in *aurea* I, 698:

Aurea conposuit sponda mediamque locavit.

in *aureo* X, 116:

Hic finis fandi. Solio tum Iuppiter aureo
Surgit.

in *alveo* VII, 33:

Adsuetae ripis volucres et fluminis alveo.

VII, 303:

Optato conduntur Thybridis alveo.

in *Menestheo* X, 764:

Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.

in *Nerei* X, 764:

Cum pedes incedit medii per maxuma Nerei
Stagna viam scindens.

in *dehinc* I, 256:

Oscula libavit natae, dehinc talia fatur.

in *deinde* II, 691:

Da deinde auxilium, pater, adque haec omina firma.

Revera igitur Ascanius formula iuris usus est: *Spondeo*, quod et in aliis stipulationibus v. g. nuptialibus verbum usitatissimum erat.

III. Quantopere vero Vergilius consentiat cum iis, quae Romano iure sunt statuta, videri potest etiam ex iis, quae ad nuptias pertinent. Ex hoc enim *connubium stabile* Aen. I, 72. II, 678. IV, 126., ex eodem vituperium est explicandum, quo nuptiae cum peregrinis notantur v. g. IV, 103. Praecipue vero consuetudinem Latinam in iis servavit, quae ad dotem pertinent. Quippe unusquisque, qui Romani iuris institutionum non omnino est nescius, non ignorat, dotem maritis ab uxorum patribus dari. Iuno ad Venerem de Didone Aeneae nubente IV, 103:

Liceat Phrygio servire marito,
Dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae.

Tyrii igitur sint dos Aeneae vel eius matri a Didone vel tutela eius, Iunone, danda. Dos igitur datur a muliere marito ex more Romano. Ita Dido Aeneae scribit apud Ovid. Heroid. VII, 149:

Hos potius populos in dotem ambage remissa
Accipe et advectas Pygmalionis opes.

Ovid. Metam. IV, 705:

Promittuntque super regnum dotale parentes.

Aen. VII, 423:

Rex tibi coniugium et quaesitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quaeritur heres.

IX, 737:

Non haec dotalis regia Amatae.

XI, 369:

Et si adeo dotalis regia cordist.

Unus est locus, qui, quum virginem ipsam dotari significet, de donatione propter nuptias videtur esse accipiendus, VII, 318:

Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo.

Quod imitatus esse videtur Ovidius Metam. XIII, 523:

At, puto, funeribus dotabere, regia virgo.

Patris vero erga liberos potestas nulla constricta erat apud Romanos lege, unde Metabus Camillam Dianae sacraturus cum vi quadam iuris XI, 558:

Ipse pater famulam voveo.

ubi Servius: »Bene *ipse pater*, quia auctorandi potestatem nonnisi patres habent.« Huc denique pertinet Eclog. I, 33:

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

Peculium quum vel filiorum vel servorum sit, sine dubio Vergilius h. l. fingit servum pastorem vel villicum, quod confirmatur versu 41:

Neque servitio me exire licebat.

Tu legas Digestorum XV. tit. 1. de peculio, animadvertasque, versu superiore manumissionem quoque innui. Peculii vero apud Plautum, qui multa ex intimo iure condita habet, frequentissima iniicitur mentio v. g. Asin. II, 2, 11. II, 4, 91. III, 1, 37. Aul. III, 4, 7. Capt. V, 3, 5. V, 4, 16. 31. Casin. II, 2, 26. II, 3, 40.

§. 77.

De nuptiis.

Matrimonium noster maxime hymenaeorum voce significat, iustumque illud e Romano sensu IV, 99. *pactos Hymenaeos* X, 649. *pactos thalamos* nominat. Est enim pactione quadam vel sponsione opus. Quapropter uxor legitima vel *pacta coniux* simpliciter *pacta* appellatur. Cf. X, 79:

Quid soceros legere et gremiis abducere pactas.

X, 722:

Purpureum pinnis et pactae coniugis ostro.

Vocabulum pacisci de matrimonio usitatissimum est. Ita Dig. XXIII. tit. 4. inscribitur de pactis dotalibus, notissima sunt, pacta conventa, quae ante vel post nuptias peraguntur. Ovidius quoque Heroid. XX, 7:

Coniugium pactamque fidem, non crimina posco:
Debitus ut coniux, non ut adulter amo.

Plin. XV, 40: »Liviae Drusillae, quae postea Augusta matrimonii nomen accepit, cum pacta esset illa Caesari.« Sed vix fidem habuerim Nonio de differ. verb. p. 439. haec proferenti: »Inter speratam et dictam et pactam et sponsam hoc interest, quod virgo, priusquam petatur, sperata dicitur — — dehinc promissa, dicta vel pacta vel sponsa dici potest. Virg. Aen. lib. II (678): *Cui pater et coniunx quondam tua dicta relinquor?*« Hoc enim loco *quondam* et *dicta* mutuo inter se nexu iunguntur, i. e. coniunx, quae olim tua sum appellata postea famula captiva, neque inesse videtur quiddam e iure petitum. Sed movet me, ut Nonio adsentiar, Cir. 413:

Illa ego sum, Minos, sacrato foedere coniunx
Dicta tibi.

Quae vi rapiebatur, VII, 362. *abducta virgo* nominatur.

Ante nuptias sacrificia quaedam offerebantur, a Didone IV, 58:

Legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaeo,
Iunoni ante omnis, cui vincla iugalia curae.

Tria enim numina priora ad nuptias nullatenus pertinent. Teste Paullo ex Festo nupturae Camelis virginibus sacrificare solebant. Suntne hae fortasse γαμήλιοι? Ad ipsas autem nuptias celebrandas opus erat praesertim mulieribus, quae pronubae appellabantur. Paullus ex Festo: »Pronubae adhibentur nuptiis, quae semel nupserunt causa auspicii, ut singulare perseveret matrimonium.“ Festus: „Pronubae adhibentur nuptiis, quae semel nupserunt, ut matrimonii perpetuitatem [sic enim legendum videtur] auspicantes.“ Inde in illo, quod Dido (172) coniugium vocat, furtivo amore IV, 166:

Prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant signum.

de Lavinia virgine VII, 319:

Et Bellona manet te pronuba.

Cir. 437:

Non mihi iam pingui sudabunt tempora murra,
Pronuba nec castos accendet pinus honores.

quo priore versu ungi etiam sponsam significatur.

Virgo quum deduceretur, teste Paullo ex Festo: „Facem in nuptiis in honorem Cereris praeferebant, aqua aspergebatur nova

nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut ignem atque aquam cum viro communicaret." Festus: „Patrimi et matrimi pueri praetextati tres nubentem deducunt, unus qui facem praefert ex spina alba, quia noctu nubebant, duo qui tenent nubentem." Denique Paullus: »Rapi solet fax, qua praelucente nova nupta deducta est, ab utrisque amicis, ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulchro comburendam curet, quo utroque mors propinqua alterius captari solet." Ad quos ritus sine dubio spectat poeta IV, 167:

Fulsere ***ignes*** *et conscius aether*
Connubiis.

Eclog. VIII, 29:

Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor.

Aen. VII, 319:

Nec face tantum
Cisseis praegnas ***ignis*** *enixa* ***iugalis;***
Quin idem Veneri partus suus et Paris alter,
Funestaeque iterum recidiva in Pergama ***taedae.***

Quanquam hic potius fabulam Graecam tetigisse poeta existimandus est. Sed huc pertinet illa *pronuba pinus* Cir. 438. iam memorata.

Porro **lectus genialis** parari solebat. Inde queritur Scylla Cir. 439:

Nec Libys Assyrio sternetur ***lectulus*** *ostro.*

Hunc memorat memorat Dido IV, 496:

Exuviasque omnis ***lectumque iugalem,***
Quo perii, superinponant.

De epulis dictum est VI, 603:

Lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris.

ubi Servius: »veluti genialibus, nam geniales proprie sunt lecti, qui sternuntur puellis nubentibus, dicti a generandis liberis."

Canebantur etiam carmina Fescennina ante fores, quae tangere videtur poeta IV, 168. de Aeneae et Didonis matrimonio:

Summoque ulularunt vertice Nymphae.

Talassio etiam vocabatur. Cf. Serv. ad Aen. I, 651: »Hinc etiam apud Romanos Talassio invocatur. Quum enim in raptu Sabinarum plebeius quidam raptam pulcherrimam duceret, ne ei auferretur ab aliis, Talassionis eam ducis nobilis esse simulavit, cuius nomine fuit puellae tuta virginitas.« Paullus autem ex Festo: „Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii; talassionem

enim vocabant quasillum, qui alio modo vocatur calathus, vas utique ipsis lanificiis aptum.“ Hinc in Catalectis Vergilianis IV, 9. repetita ter vox Talassio, V, 15:

Et inscio repente clamatum super
Talassio, Talassio.

Spargebantur etiam nuces. Inde Eclog. VIII, 30:

Sparge marite nuces.

ubi Servius: »Idem Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Iovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit, sicut Iuno. Nam nuces in tutela sunt Iovis. Unde et iuglandes vocantur, quasi Iovis glandes. Nam illud vulgare est, ideo spargi nuces, ut rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellae vox virginitatem deponentis possit audiri.«

Post nuptias mulier domina appellabatur. Quod poeta in Proserpinam transfert VI, 397:

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Lanificiis vero potissimum mulier Romana erat occupata. Cf. VIII, 408:

Cum femina primum,
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Inpositum, cinerem et sopitos suscitat ignis,
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Coniugis et possit parvos educere natos.

§. 78.

De textrina.

Quum apud Romanos antiquissima et honestissima opera fuerit in lanificio, facile ii apud Homerum loci a poeta poterant adoptari, quibus de textrina sermo erat institutus. Attamen in universum pauca huius opificii, quod Minervae praesidio gaudet, momenta per carmina Vergiliana exstant. Camilla vocatur VII, 805:

Bellatrix, non illa colo calathisve Minervae
Femineas adsueta manus.

Femina significatur tenuioris condicionis VIII, 409:

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Inpositum.

Sergesto V, 284:

Serva datur, operum haud ignara Minervae.

Scylla amore correpta Cir. 176:

Nulla colum novit.

Haec enim instrumenta sunt, quibus ad textrinam opus est, primo colus, qua lanam ponebant, deinde fusus, quem nendo digitis volvebant. Georg. IV, 348:

Carmine quo captae dum fusis mollia pensa
Devolvont.

Parcae Eclog. IV, 46:

Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis.

Cir. 444:

Coniugis adque tuae, quaecumque erit illa, beatae
Non licuit gravidos penso devolvere fusos.

Pensum enim dicitur lana, quae puellis datur intra constitutum tempus paranda. Inde domina VIII, 411:

Famulasque ad lumina longo
Exercet penso.

Vocantur Georg. I, 390: *nocturna carpentes pensa puellae.*

Cuius pensi pars staminibus ductis tertio instrumento radio excipitur, quo ipsa textrina perficitur. Inde matri Euryali, de filii morte nuntio allato, IX, 476:

Excussi manibus radii revolutaque pensa.

Quod ductum esse ex Homerica Andromacha Il. XXI, 448:

τῆς δ'ἐλελίχθη γυῖα, χαμαὶ δέ οἱ ἔκπεσε κερκίς.

quis negabit? A radio vero (κερκίς) quammaxime differt pecten, instrumentum, ut videtur, Homero incognitum, quo tela a Romanis feminis densari solebat. Ad quarum exemplum Circe vocatur VII, 14:

Arguto tenuis percurrens pectine telas.

a Scylla amore correpta Cir. 178:

Non Libyco molles plauduntur pectine telae.

Argutum vocatur a poeta pecten, quaemadmodum serra Georg. I, 143., ita ut eius dentes textor, postquam stamini subtemen additum est, in textile agat. Utrum illud, quemadmodum in hodierna textrina de iugo aliquo attrahendum et remittendum pendeat, an manu comprehensum feriatur, non omnino perspicio. Posterius puto. Ad tales vero usus pecten fuisse adhibitum vides ex Ovid. Metamorph. VI, 53:

Haud mora; consistunt diversis partibus ambae,
Et gracili geminas intendunt stamine telas.
Tela iugo vincta est, stamen secernit arundo,

Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percusso feriunt insecti pectine dentes.

Fast. III, 819:

Illa etiam stantes radio percurrere telas
Erudit, et rarum pectine denset opus.

Inter verba lanificii exstat apud Varron. L. L. V. §. 113: »Densum a dentibus pectinis, quibus feritur.“

§. 79.

De vestimentis.

TVNICA virorum feminarumque vestis erat apud Romanos interior. Evander VIII, 457. duobus vestimentis utitur:

Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis;
Tum lateri adque umeris Tegaeum subligat ensem,
Demissa ab laeva pantherae terga retorquens.

Theronem Aeneas non solum per loricam, sed tunicam etiam ferit X, 313:

Huic gladio perque aerea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.

ubi, ne cum Servio *squalentem auro* explices: splendentem loricam, quippe iam *per aerea suta* significatam, conferas velim X, 817:

Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro.

unde vides auro etiam interdum eam fuisse pictam. Ita Chloreus ille XI, 777:

Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum.

Sed indignior etiam illa notatur luxuria, qua manicas interdum addebant tunicis, quod ut muliebrem quandam desidiam Numanus Remulus Troianis obiicit IX, 616:

Et tunicae manicas et habent redimicula mitrae.

Iam Servius attulit Cic. Catilin. II, 10: »Videtis manicatis et talaribus tunicis, velis amictos, non togis.« ubi etiam alia verbis Vergilii respondent; etenim illis:

Vobis picta croco et fulgenti murice vestis,
Desidiae cordi; iuvat indulgere choreis.

comparanda sunt Ciceroniana: „Hi pueri tam lepidi ac delicati, non solum amare et amari, neque psallere et saltare, sed etiam sicas vibrare et spargere venena didicerunt.“ Gellius VII, 12. iam

addiderat verba P. Scipionis Africani in P. Sulpicium Gallum, hominem delicatum: „qui — cum chiridota tunica inferior accubuerit.“ et addit: »Quintus quoque Ennius Carthaginiensium tunicatam iuventutem non videtur sine probro dixisse.« ubi, quod olim mecum conieceram manicatam iuventutem, propter Nonium s. v. Tunica iam reiiciendum erit.

Toga apud Vergilium non apparet propter res bellicas. Cedant arma togae. Verum eam esse vestem Romanorum propriam inde vides, quod I, 282. appellat:

Romanos rerum dominos gentemque togatam.

Nescio tamen an significaverit togam de pelle antiquissimam loco supra allato VIII, 460., ubi Evander non tunica solum est indutus, sed:

Demissa ab laeva pantherae terga retorquens.

Toga enim teste Isidoro XIX, 24, 3. et monumentis omnibus: »sub dextro veniens supra humerum sinistrum ponitur.« Aliis vero locis, quibus Vergilius Herculeum vel venatorium heroum habitum descripsit, addit interdum, quod pellis capiti induitur v. g. VII, 658: *Indutus capiti,* XI, 577:

Tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent.

XI, 678:

Pugnatori operit caput ingens oris hiatus.

Trabea. Vide supra §. 6.

Palla maxime erat mulierum. Isidori locus XIX, 25, 2. nondum satis notus esse videtur: „Palla est quadrum pallium muliebris vestis, deductum usque ad vestigia, quod adfixis in ordinem gemmis micat. Et palla dicta est ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est a nobilitate [legendum est: mobilitate], quae est circa finem huius indumenti, sive quod rugis vibrantibus sinuata crispetur.« Pallam ad talos deductum fuisse pallium poeta quoque, ni fallor, indicat de Camilla locutus XI, 576:

Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae
Tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent.

Sed cave, ne caput quoque coopertum fuisse e verbis: *a vertice* elicias; haec enim ad Herculeum habitum referenda sunt. Deinde ab Isidoro audimus, eam saepenumero adfixis in ordinem gemmis micasse; similem vero ornatum Aeneas I, 648:

Ferre iubet pallam signis auroque rigentem.

ubi Servius: »Significat autem tunicopallium, quod secundum Varronem palla ab irrugatione et mobilitate, quae est circa finem huiusmodi vestium, ἀπὸ τοῦ πάλλειν.“ Nonius: „Palla est honestae

mulieris vestimentum, hoc est, tunicae pallium." (Iniuria viri docti in statuis Herculanensibus Mus. Borbon. Vol. II. Tab. 5. et 6. tunicopallium videntur statuisse; palla saltem non est vestis illa.) Mirantur I, 711. pallam illam. Cir. 149:

Procurrit virgo: quod uti ne prodita ludo
Auratam gracili solvisset corpore pallam.

Aliis etiam mulieribus poeta pallam tribuit, VI, 555:

Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta.

ubi verbum *succincta* non ad cingulum aliquod spectat, sed nonnisi i. q. circumdata significat. Cf. XII, 411: *succinctus amictu.* X, 634: *nimbo succincta.* VII, 188: *Succinctus trabea.* Notanda etiam VIII, 702:

Et scissa gaudens vadit Discordia palla.

Circvmtextvm. Velvm. Huius una tantum apud Maronem mentio exstat I, 649., quo loco rarius fuisse vestimentum patet. Aeneas enim praeter alia munera Iliacis flammis erepta ferri iubet:

Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivae Helenae, quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret inconcessosque Hymenaeos,
Extulerat, matris Ledae mirabile donum.

Mirantur I, 711:

Pallamque et pictum croceo velamen acantho.

Servius ad priorem locum: „Cycladem significat." Clariora docet Isidor. XIX, 24, 10: „Circnmtextum, quod Graece κύκλας dicitur, de quo Vergilius: *Et circumtextum croceo velamen acantho.* Circumtextum autem dictum, quia rotundum pallium." Croceum acanthum explicat Varro L. L. V. §. 132: „Amictui dictum, quod ambiectum est, id est circumiectum, a quo etiam, quo vestitas se involvunt, circumiectui appellant. Et quod amictui habet purpuram circum, vocant circumtextum.« Fortasse tamen etiam velamen vel velum erat appellatum, ut ex Aen. I, 711. effici poterit, unde Cicero Cat. II, 10. exprobrat velis amictos, non togis. Velum Ilionae sacrum Romae servabatur (Serv. auct. Aen. VII, 188.). Ceterum ad croceum acanthum comparandi erunt e Plauti Aulul. III, 5, 47: »infectores crocotularii.« Cf. Aen. IX, 614: *picta croco vestis.* XI, 775: *croceam chlamydem.*

Chlamys non solum vestimentum erat militare, sed puerile etiam et muliebre. Ulpianus ait Digest. XXXIV, 2, 23: »Puerilia sunt, quae ad nullum alium usum pertinent, nisi puerilem, veluti togae praetextae, aliculae, chlamydes, pallia, quae filiis nostris comparamus.« Varro (apud Nonium s. v. Encombomata) Cato vel

de liberis educandis fr. p. 321: »Ut puellae habeant potius in vestitu chlamydas, encombomata ac parnacidas, quam togas.“ Quae significatio obtinet apud Vergilium III, 484., ubi Andromache fert:

Et Phrygiam Ascanio chlamydem, nec cedit honori,
Textilibusque onerat donis.

Servius: „aut acu pictam. Huius enim artis peritos Phrygiones dicimus secundum Plautum.“ Aulul. III, 5, 34: „Stat fullo, Phrygio, aurifex, lanarius.“ Varro περὶ φϑορᾶς κόσμου (Non. s. v. Phrygiones.) fr. p. 268: „Phrygio, qui polvinar poterat pingere.“ Serv. ad Aen. XI, 777: »*Pictus tunicas* i. e. habebat vestem Phrygionis arte perfectam.« Evander de Priamo, quem vix iuvenis (VIII, 160.) conspexerit, narrat VIII, 166:

Ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas
Discedens chlamydemque auro dedit intertextam.

Cf. Sueton. Tiber. 6: »Munera, quibus [Tiberius puer] a Pompeia Sexti Pompeii sorore in Sicilia donatus est, chlamys et fibula, item bullae aureae durant ostenduntarque adhuc Baiis.« Muliebris deinde est chlamys IV, 137., ubi Dido progreditur:

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo —
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Ad navale proelium conspiciendum Claudius Tacit. Ann. XII, 56: »Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata praesedere.« Dio LX, 33: Χλαμύδι διαχρύσῳ. Plinius N. H. XXXIII, 19. eam »indutam paludamento, auro textili, sine alia materia« describit. Verum Nonius quoque s. v. Chlamys Vergiliano loco addit Varron. Hercule Socratico fr. p. 283: »Cubo in Sardinianis tapetibus, chlamyda (?) sed purpurea amicula.« Ceterum quum limbum addat Vergilius, non obliviscendi erunt e Plauti Aulul. III, 5, 45: »textores, limbularii« et Maeander ille, quem illico audituri sumus. Nonius errat, qui limbum muliebre vestimentum fuisse existimat. Animi causa addo Varron. in Logistorico, qui inscribitur Dolium (Prob. ad Verg. Eclog. VI, 31.) fr. p. 270:

Mundus domus est maxima homulli,
Quam quinque altitonae fragmine zonae
Cingunt, per quam limbus pictus bis sex signis.

Saepissime vero militare vestimentum chlamys putanda erit, iis praesertim locis, quibus in armis vel proelio duces militesque conspiciuntur v. g. VIII, 588:

Ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis.

IX, 581:

Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem et ferrugine clarus Hibera.

Chloreus ille *peregrina ferrugine clarus et ostro* (XI, 772.) 775:

Tum croceam chlamydemque sinusque crepantis
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro.

Croceum colorem iam tetigimus. Militarem etiam fuisse credo, quam ductoribus navis victricis Aeneas V, 250. donat:

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Maeandro duplici Meliboea cucurrit,
Intextusque puer frondosa regius Ida
Velocis iaculo cervos cursuque fatigat,
Acer, anhelanti similis. . . . . . .

Non Ganymedem ab aquila raptum in monumentis obvium in illa chlamyde intextum fuisse arbitror, sed venatu occupatum, anhelantem. Collationis in modum et poeticae copiae gratia deinde versus 254—257. adduntur, et sermo obliquus v. 256., plane ut in genuinis comparationibus, in rectum transit. *Chlamys* vero *aurata* h. l. ut VIII, 167: *auro intertexta,* Georg. II, 464: *inlusae auro vestes,* ut apud Sueton. Neron. 25. Nero »in veste purpurea distinctaque stellis aureis chlamyde.“ Calig. 19: „insignisque quernea corona et cetra et gladio aureaque chlamyde.“ Verum enim vero fortasse saepius animo Vergilii haec obversata est vestis, cuius sane expressiorem et delineatam formam ignoramus, quum toties de veste picta, picturata, ostro perfusa, purpura picta, amictu purpureo loquatur, nisi singulis locis de trabea erit cogitandum. Quae res ad discernendum est ardua. Audias poetam ipsum. Andromache III, 483:

Fert picturatas auri subtemine vestes
Et Phrygiam Ascanio chlamydem.

ubi ἓν διὰ δυοῖν poteris adhibitum esse existimare. Sic V, 250: *chlamydem auratam.* Exercitus nominatur IX, 26: *Dives pictai vestis et auri,* ubi de chlamyde militari cogitari aptissimum erit. Porro IX, 614:

Vobis picta croco et fulgenti murice vestis.

poterit *croceam chlamydem* XI, 775. in memoriam revocare. Quum vero in Placidi Glossis chlamys vocetur vestis purpurata, apud Vergilium quoque commutata est vestis purpurea cum chlamyde. Ita quae IV, 137. *Sidonia chlamys,* eadem 139. *purpurea vestis.* (Cf. XII, 602. reginae *purpureos amictus.*) Chloreus, qui XI, 775. *croceam chlamydem* indutus est, 772. *peregrina* appellatur *ferrugine clarus et ostro,* quanquam ibi quoque de tu-

nicis 777. et carbaso 776. dictum esse poterat. Ad chlamydem militarem igitur referendi V, 111:

Armaque et ostro
Perfusae vestes.

V, 132:

Ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori.

XII, 126:

Ductores auro volitant ostroque superbi.

Georg. III, 17:

Illi victor ego et Tyrio conspectus in ostro.

De Tyrio ostro legas Plin. N. H. IX, 63. 65. Plinio IX, 60. teste purpura in triumphali veste miscetur auro.

Contra VII, 814. de trabea erit cogitandum, quia *regius honos* vocatur, aliique loci huc non pertinent, ut I, 639:

Arte laboratae vestes ostroque superbo.

quae ad stragulam vestem referendae erunt, quibus compares VII, 277:

Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.

Equum ostro instratum e lapide antiquo coloribus adhuc imbuto depictum apud Magontiacum olim vidi. De veste stragula adde I, 700:

Conveniunt stratoque super discumbitur ostro.

Cir. 439:

Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro.

Georg. II, 506:

Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro.

deinde tapetas, quos Nonius explicat: »tegmen unite pictum de coloribus variis.« laudans Varronem Hercule Socratico: „In omnibus rebus bonis cottidianis, cubo in Sardinianis tapetibus." Nisus Aen. VIII, 325:

Rhamnetem adgreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus toto proflabat pectore somnum.

Postea relinquunt Nisus atque Euryalus 358:

Armaque craterasque simul pulchrosque tapetas.

Poterant huc denique advocari aulaea, vela picta, ut Servius ait, ideo dicta, quia in aula Attali regis Asiae, qui populum Romanum scripsit heredem, inventa sunt. Dido componit I, 697: *aulaeis iam se regina superbis.* Georg. III, 25:

Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.

Laena, quae semel tantum apud Vergilium est obvia, a Nonio falso explicatur: „vestimentum militare." Aeneae IV, 262:

Tyrioque ardebat murice laena
Demissa ex umeris, dives quae munera Dido
Fecerat et tenui telas discreverat auro.

De laena certant grammatici. Varro L. L. V. §. 133: „Laena quod de lana multa, duarum enim togarum instar. Ut antiquissimum mulierum ricinium, sic hoc duplex virorum.“ Servius quoque: »Est autem proprie toga duplex, amictus auguralis.“ Isidor. XIX, 23, 3: „Laenae saga quadra et mollia sunt, de quibus Plautus: Laena cooperta est textrina Gallia.“ Ceterum laenas possis XI, 72. suspicari (ob similem descriptionem cum IV, 264.):

Tum geminas vestes auroque ostroque rigentis
Extulit Aeneas, quas illi laeta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat et tenui telas discreverat auro.

Sed haec potius ricinia sunt, ut postea videbimus.

Carbasus „pallium, quo fluvii amiciuntur, vel opulentiae causa, ut sericum, aut lino tenui.“ Tiberinum VIII, 34:

Eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus.

Chloreus XI, 775:

Croceam chlamydemque sinusque crepantis
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro.

Quod sinus attinet in nodum collectos, Venus quoque apparet I, 320:

Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis.

Mitra, modo ad vestimenta, modo ad ornamenta pertinebat. Etenim Ulpianus muliebria enumerans vestimenta Dig. XXXIV, 2, 23: „Mitrae, quae magis capitis tegendi, quam ornandi causa sunt comparatae.“ ibid. 25. ait: „Ornamentorum haec sunt: vittae, mitrae, semimitrae, calantica, acus cum margarita, quam mulieres habere solent, reticula, crocofantia.“ Quapropter mollis et turpis vituperatur Aeneas ab Iarba IV, 216:

Maeonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus.

Troiani etiam a Numano IX, 616:

Et tunicae manicas et habent redimicula mitrae.

Cf. Isidor XIX, 31, 4: „Mitra est pileum Phrygium, caput protegens, quale est ornamentum capitis devotarum. Sed pileum virorum, mitrae autem feminarum. 5. Redimicula autem sunt, quibus mitra alligatur.“

Pero cet. De hoc iam supra §. 33. disputavimus. Memorandus est praeterea Chloreus ille multum notatus XI, 777:

Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum.

Porro Evander VIII, 458:

Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

Servius: „Tusca calceamenta. Et dicit crepidas, quas primo habuere senatores, post equites Romani, nunc milites." Venus I, 337. ait morem esse virginibus Tyriis:

Purpureoque alte suras vincire cothurno.

Servius: „Cothurni sunt calceamenta venatoria, crura quoque vincientia, quorum quivis utrique aptus est pedi." Cf. Eclog. VII, 32:

Puniceo stabis suras evincta cothurno.

Adde calceos Sicyonios a Cicerone de orat. I, 54, 231. muliebres commemoratos et a Vergilio Cir. 166:

Infelix virgo tota bacchatur in urbe
Non styrace Idaeo flagrantis tincta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia servans.

§. 80.

De ornamentis.

Quemadmodum in picturis Pompeianis Venus aliaeque deae ad Romanarum feminarum more ornatae conspiciuntur, ita Didoni, Laviniae, aliis poeta addidit virginum matronarumque Latinarum mundum. Didoni IV, 139:

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Aeneas promittit praemium victoriae Amazoniam pharetram, V, 312:

Lato quam circumplectitur auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemma.

Tyrrhena vulnerat novem iuvenum XII, 273:

Horum unum ad medium, teritur qua sutilis alvo
Balteus et laterum iuncturas fibula mordet.

Isidor. XIX, 31, 17: »Fibulae sunt, quibus pectus feminarum ornatur, vel pallium tenetur a viris in humeris, seu cingulum in lumbis.« Inserviebat vero fibula non solum ad vestem balteumque connectendum, sed ad crinem quoque internectendum. Camillam turba matrum miratur VII, 815:

Ut fibula crinem
Internectat.

Qua fortasse non acus discriminalis a poeta est indicatus, sed revera fibula Atheniensium more, quae formam aureae cicadae in Nisi quoque capillo obtinuit Cir. 126:

Aurea sollemni comtum quem fibula ritu
Crobylus et tereti nectebant dente cicadae.

Cf. Thucyd. I, 6: [οἱ Ἀθηναῖοι] καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐνέρσει κρωβύλον ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν. Quanquam de Niso non iniuria dicere poteris, Atheniensem habitum in illum ipsum Graecum magis quadrare, quam in Volscam virginem, praesertim quum aliis locis acus discriminalis Romanarum tangatur. XI, v. g. 576: *Pro crinali auro.* Didoni IV, 138:

Crines nodantur in aurum.

Gemma etiam et diadema aureum capitis ornatui adhibetur in comparatione elegantissima X, 134:

Qualis gemma micat, fulvom quae dividit aurum,
Aut collo decus aut capiti, vel quale per artem
Inclusum buxo aut Oricia terebintho
Lucet ebur, fusos cervix cui lactea crinis
Accipit et molli subnectens circulus auro.

Ab Ulpiano Dig. XXXIV, 2, 25. nominantur quidem vittae, mitrae, semimitrae, calantica, acus cum margarita, quam mulieres habere solent, reticula, crocofantia ut ornamenta mulierum, neque vero diadema. Attamen Isidorus XIX, 31, 1: »Diadema est ornamentum capitis matronarum ex auro et gemmis contextum, quod in se circumactis extremitatibus retro astringitur.«

Alia etiam cura capillis adhibebatur. Calamistro vibrabantur, unguentis imbuebantur. Turnus cupit Aeneae XII, 99:

Et foedare in pulvere crinis
Vibratos calido ferro murraque madentis.

Aeneas vocatur IV, 216:

Maeonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus.

Virgo infelix bacchatur Cir. 167:

Non styrace Idaeo flagrantis tincta capillos.

Cf. Ovid. A. A. I, 505:

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos,
Nec tua mordaci pumice crura tegas.

II, 304:

Torserit igne comam, torte capille place.

Varro L. L. V. §. 129: »Calamistrum, quod his calefactis in cinere capillus ornatur. Qui ea ministrabat, a cinere cinerarius est appellatus.« Crinibus madentibus comparandus est apud Horat. carm. I, 5, 2. puer perfusus liquidis odoribus. Animadverte etiam X, 832: *comptos de more capillos*, XII, 605. Laviniae *flavos crinis*, IV,

698. Didonis *flavom crinem*, 559. Mercurii *crinis flavos*, in quibus aliquid de cultu aevi Augustei latet. Horatius Pyrrhae Carm. I, 5, 4. flavam comam tribuit. Teste Catone (Serv. Aen. IV, 698.) matronae Romanae crines „flavo cinere unctitabant, ut rutilae essent.“

Collo monilia geri solebant. Didoni Aeneas donat I, 654:

Colloque monile
Bacatum et duplicem gemmis auroque coronam.

Virgo Cir. 169:

Non niveo retinens bacata monilia collo.

Pueris Troiam ludentibus V, 558:

It pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

VII, 351:

Fit tortile collo
Aurum ingens coluber.

Equorum etiam VII, 278:

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Pueri balteos bullasque habebant. IX, 359:

Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis
Cingula — — — —
Haec rapit adque umeris nequiquam fortibus aptat.

Turnus Pallanti occiso rapit X, 496: *immania pondera baltei.* Sed XII, 941:

Infelix umero cum adparuit alto
Balteus et notis fulserunt cingula bullis,
Pallantis pueri.

Cf. V, 312. XII, 273. Tales bullae in artis monumentis sexcenties conspiciuntur.

§. 81.

De artis operibus.

Nostro demum tempore didicerunt artis antiquae perscrutatores ea, quae verbis praesertim poetarum e monumentorum vivo aspectu derivata tecte partim atque occulto, partim manifesto insunt, eruere atque in lucem fructumque palam proferre. Quorum ad fabulas explicandas operaque artificum ipsorum interpretanda usus in promptu est. Multa tamen restant e descriptionibus, comparationibus etiam singulisque versibus clariore luce adumbranda. Vergilius quoque quin ad immensam illam et aedificiorum et imaginum tam aere, auro, argento, quam tabulis effictarum et ornamentorum omnis generis per Romam totamque Italiam diffusorum copiam spe-

ctaverit, nequaquam est dubitandum. Aedificiorum autem per carmina sparsam descriptionem, quum satis superque et de curia, templis, aedibus privatis sit actum, hinc seiungendam esse arbitrati sumus. Ipsum etiam clipeum libri octavi variis metallis caelatum, portas libri sexti, deorum in templis, maiorum in atriis imagines, cereas denique in sacris magicis effigies iam supra exposuimus. Reliqua hic persequemur.

Statuae. Meminit Priapi e marmore confecti, ex auro conficiendi Eclog. VII, 34:

Custos es pauperis horti
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.

Deliae etiam ibid. 31:

Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

Promittit Veneri Catal. VI. se, quando Troius Aeneas fuerit carmine digno celebratus, non solum ture pictaque tabella templa eius esse decoraturum, sed maioribus etiam victimis gratias acturum v. 9:

Marmoreusque tibi, dea, versicoloribus alis
In morem picta stabit Amor pharetra.

Caesaris etiam simulacrum in templo ipsi dedicando adsignat Georg. III, 16:

In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.

verum ibidem alias etiam statuas additurus e Pario marmore 34:

Stabunt et Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles demissaeque ab Iove gentis
Nomina, Trosque parens, et Troiae Cynthius auctor.

Parii marmoris etiam Aen. I, 593. meminit: *Pariusve lapis circumdatur auro.* (Cir. 475: *Marmoreamque Paron.*) Aen. VI, 471. *Marpesia cautes* vocatur a monte illius insulae. Ibi vero ad statuas, ut videtur, ex eo fictas respexit de Didone loquens fixos oculos aversos tenente:

Nec magis incepto vultum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.

Potest enim unusquisque poeta talia mutare, ut modo *spirantia signa* dicat (quemadmodum et VI, 848:

Excudent alii spirantia mollius aera,
Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus.),

modo immobilia et vita carentia pro lubitu exhibeat.

Caelata deinde audimus varia opera diverso metallo ac ligno, primum e fago Eclog. III, 36:

Pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon, et — quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora quae messor, quae curvos arator haberet?

Quod fagina Maro fingit pocula viti hederaque vestita (cf. Monumenti inediti dell' institutio archeolog. Vol. III. Tab. 5.) figurisque Cononis et Eudoxi vel Archimedis insignita, ante oculos nescio an habuerit rarius aliquod opus, quamvis Plinius N. H. XVI, 48. dicat, eam arborem sectilibus laminis in tenui flexilem, capsisque ac scriniis solum utilem esse. Potuit enim Alcimedon ille in tali quoque materia quaedam scalpro caelare. Addit Damoetas Eclog. III, 44:

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circumst ansas amplexus acantho,
Orpheaque in medio posuit silvasque sequentis.

Alia argento caelata promittit Iulus IX, 263:

Bina dabo argento perfecta adque aspera signis
Pocula, devicta genitor quae cepit Arisba.

Pastori non nota sunt aurum lapidesque Cul. 65:

Nec pocula gratum
Alconis referent Boetique toreuma.

De quibus artificibus iam interpretes laudarunt Plin. N. H. XXXIV, 14: »Est in eadem urbe ferreus Hercules, quem fecit Alcon, laborum dei patientia inductus.» XXXIII, 55: »[Exstant hodie opera] Boethi apud Lindiam Minerviam.« Memoratur etiam in Aeneae clipeo VIII, 701: *Mavors caelatus ferro.* Quod e ferro dixit caelatum, eius rei rariora ante oculos potuit habere exempla; etenim non solum ferreum illum Herculem memorat Plinius N. H. XXXIV, 14. aes ferrumque mixtum ab Aristonida, sed addit: »Et Romae scyphos e ferro dicatos in templo Martis Ultoris.« Neque praetereunda esse duxi Aen. I, 640:

Ingens argentum mensis caelataque in auro
Fortia facta patrum.

V, 307: *Caelatamque argento bipinnem,* porro 536: *Cratera inpressum signis,* II, 765: *Crateras auro solidos,* III, 466:

Ingens argentum Dodonaeosque lebetas.

Aeneas V, 266:

Tertia dona facit geminos ex aere lebetas,
Cymbiaque argento perfecta adque aspera signis.

His poculorum et vasorum generibus sunt addendi *cantharus* etiam Eclog. VI, 17. et *scyphus sacer* Aen. VIII, 278., *cupae et calices*, *cyathi* Cop. 7., et *crystallo novi calices* ibid. 30., *sacri tripodes* Aen. V, 110., *tripodes gemini* IX, 265., quibus omnibus »scyphos sigillatos« apud Cic. Verr. IV, 14, 32., »perbona toreumata, in his pocula duo quaedam, quae Thericlea appellantur« 18, 38., „scaphia cum emblematis“ 17, 37. „crateras ex aere pulcherrimas“ 59, 131. comparare poteris. Tripodes quoque non in Graecia solum, sed Romae quoque magno in usu fuerunt, inventique sunt Pompeiis, Herculani, aliis locis.

Χρυσελεφάντινα quoque signa poeta non oblitus est carminibus ornatum intexere. Helenus III, 464:

Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto
Inperat ad navis ferri.

Georg. III, 26:

In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam victorisque arma Quirini,
Adque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum ac navali surgentis aere columnas.

ad quae posteriora Servius: „Augustus victor totius Aegypti, quam Caesar pro parte superaverat, multa de navali certamine sustulit rostra, quibus conflatis quattuor fecit columnas, quae postea a Domitiano in Capitolio sunt locatae, quas hodieque conspicimus.“ Priora vero num miranda sunt apud poetam, cottidie eos conspicientem, qui marmoreis tectis, ebore et auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui caelato auro et argento, qui Corinthiis operibus abundaverunt? Videmus, regi Latino placere, legatos Aeneae mitti XI, 333:

Munera portantis aurique eborisque talenta.

Simulacra deorum audimus ex ebore confecta Georg. I, 480:

Et maestum inlacrimat ebur.

Plin. N. H. VIII, 10: „Dentibus ingens pretium et deorum simulacris laudatissima ex iis materia.“ Signa eburnea in Sicilia etiam a Cicerone Verr. IV, 1, 1. commemorantur, porro 46, 103: „eburneae Victoriae antiquo opere ac summa arte perfectae.“ Varro vit P. R. (Non. s. v. Paupertates) fr. p. 241: „Quid inter hos Ioves intersit, et eos, qui ex marmore auro ebore nunc fiunt, potes animo advertere et horum temporum divitias et illorum paupertates.“ Alia etiam artificia novit in ebore tractando gemmisque circumdandis, ut in comparatione prodit Aen. I, 592:

Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.

ad quam observandum esse videtur, ipsum colorum inter se distinctam eleganterque commixtam differentiam multis locis, ut in ornatu Aeneae, eiusdem clipeo, alias lectorum quasi oculis proponere. Cf. XII, 67:

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Siquis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa.

ad quam vero comparationem non artificum opera, — quippe qualia nulla novimus — sed Homerum Il. IV, 141:

Ὡς δ' ὅτε τίς τ'ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ
Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα, παρήιον ἔμμεναι ἵππων.

ansam dedisse reor, plane ut Ovidio Amor. II, 5, 37, qui Vergilium quoque imitatus est:

Quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae,
  Aut ubi cantatis Luna laborat equis,
Aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
  Maeonis Assyrium femina tinxit ebur.

Cf. Metam. IV, 332: »ebori tincto.« Altera tamen comparatio ad rei veritatem est formata, X: 134:

Qualis gemma micat, fulvom quae dividit aurum,
Aut collo decus aut capiti, vel quale per artem
Inclusum buxo aut Oricia terebintho
Lucet ebur . . . .

In hac comparatione obscuriora opposita sunt lucidioribus, album nigro, ut in illa albo rubrum. De re ipsa audias Plin. N. H. XVI, 84: „Quae in laminas secantur, quorumque operimento vestiatur alia materies, praecipua sunt citrum, terebinthus, aceris genera, buxum cet — —« »Nec satis: coepere tingi animalium cornua, dentes secari, lignumque ebore distingui, mox operiri.«

Gemmarvm luxuriam non minus in carmen suum transtulit, quum Aen. I, 655: *duplicem gemmis auroque coronam*, VII, 75: *coronam insignem gemmis*, I, 728: *gravem gemmis auroque pateram*, fibulam cum gemma V, 313., stellatum iaspide fulva ensem IV, 261., poculum e gemma Georg. II, 506. (*ut gemma bibat*) commemoret. Plinius N. H. XXXVII, 6: »gemmata potoria.« Cf. Dig. XXXIV, 2, 19.

Tabvlarvm denique varietatem, Homero incognitam, temporibus illis tribuit. Inde illam μεγαλογραφίαν in Capitolio Carthaginiensi Aeneas I, 455:

Artificumque manus inter se operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas.

464:

Animum pictura pascit inani.

E magna illa descriptione 455—493. agnoscimus 467. fugam Graecorum Patroclo occiso ortam, Rhesi mortem 469., Troili vulnera 474., pompam Iliadum ad Palladium peplum ferentium 479., Hectoris fatum vel potius Priamum ab Achille corpus filii petentem 483—487., Aeneam pugnantem 488., Memnonis adventum 489., Penthesileam cum Amazonibus auxilium ferentem, ita ut magna pars tabulae alicuius Iliacae a poeta sit adumbrata. Inspicienda est Inghirami galleria Omerica. Ex scriptoribus Vitruvius VII, 5. (de ratione pingendi parietes): »Nonnullis locis item signarent megalographiam habentem deorum simulacra, seu fabularum dispositas explicationes, non minus Troianas pugnas seu Ulyssis errationes.« Pinxit Theodorus teste Plinio XXXV, 40, 40: »bellumque Iliacum pluribus tabulis, quod est Romae in Philippi porticibus.« Ad picturas igitur referri etiam poterunt Aen. I, 119:

Tabulaeque et Troia gaza per undas.

Quae alias picta dicuntur, ut arma, carinae, vestimenta, vix ad hanc artem pertinent. Addam tamen hac occasione data nonnulla de peplo efferendo. Hunc morem Graecorum antiquissimum ex Homero de ipsa Troia Vergilius repetiit Aen. I, 479:

Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis peplumque ferebant.

postea de Latini urbe aliquantum mutavit XI, 477:

Nec non ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens, iuxtaque comes Lavinia virgo.

ubi ab Homero diversum est, quod non ibat, sed *subvehitur* more Romanarum feminarum (Festus s. v. Pilentum. Liv. V, 25.), ut VIII, 665:

Castae ducebant per urbem
Pilentis matris in mollibus.

Dona, quae ferunt, nonnisi peplo videntur constare. Tali poeta ad comparationem suae poesis usus est Cir. 20—34:

Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castae solvuntur vota Minervae — — — — —
Ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae,
Magna Giganteis ornantur pepla tropaeis,

Horrida sanguineo pinguntur proelia cocco.
Additur aurata deiectus cuspide Typhon — —
Tale deae velum sollemni in tempore portant.

Quae de peplo Athenis in Panathenaicis celebrato res est e scriptoribus monumentisque notissima. De Palladis pugnis vide Müller et Oesterlei monumenta artis antiquae II, 2. nr. 229. 230. 231.

§. 82.

De arte musica.

Differt Romanae iuventutis educatio a Graecae musica potissimum arte ab illa non exculta; sed partim ex Etruria partim e Graecia Asiaque omnia fere instrumenta Romam Augusto regnante erant inlata, quae poeta carminibus vario opere miscuit.

Fistvla *rustica* (Cop. 10. *calamus palustris* Cul. 71.) in Eclogis solis a poeta adhibetur. Originem narrat II, 32:

Pan primus calamos cera coniungere pluris
Instituit.

III, 25:

Cantando tu illum? Aut umquam tibi fistula cera
Iuncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

II, 36:

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim.

Fistula in monumentis permultis, ubi Pan aliaque numina rustica adsunt, conspicua est.

Tibia interdum ebore confecta, ut Georg. II, 193:

Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

ubi Servius: „Ebur autem tibiarum dicit, quibus in aurem sacerdotis canere solebant.« Plinius N. H. XVI, 66. eas e buxo confectas tradit: »Nunc sacrificae [tibiae] Tuscorum e buxo, ludicrae vero loto ossibusque asininis et argento fiunt.« Vergilius buxum tibiae Phrygiae concedit IX, 618:

Dindyma, ubi adsuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocat Berecyntia Matris
Idaeae.

Servius *biforem cantum* ita explicat: „Tibiae aut Serranae dicuntur, quae sunt pares et aequales habent cavernas, aut Phrygiae, quae et impares sunt et inaequales habent cavernas — — Ut enim ait Varro: Tibia Phrygia dextra unum foramen habet,

sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem."
Cf. Cir. 165:

Ictave barbarico Cybeles antistita buxo.

Hanc depictam invenies addito in altera foramine aeneo incurvo in ara Cybelae et Attidis apud Zoegam Bassirilievi di Roma. Tom. I. Tab. 14. (Millin. mythol. Galler. Tab. IV. nr. 15.) Adde Aen. XI, 737:

Ubi curva choros indixit tibia Bacchi.

TVBA. LITVVS. CORNV. Vide §. 22. de classico.

CITHARA quoque saepius a Marone memoratur. Aen. I, 740:

Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quae maxumus Atlans.

Threicia VI, 120. Orpheo tribuitur. Cf. IX, 776, XII, 394. Cir. 106., LYRA Cul. 13. 284., ambae sine dubio septem chordis constantes (posterior Antichita di Ercolano Tom. II. Tab. V: *ΤΕΡΨΙΧΟΡΗ. ΛΥΡΑΝ.*, PSALTERIA Cir. 177. Hanc novem chordis praeditam in pictura vides Herculanensi Antichita di Ercolano Tom. II. Tab. VI. cum inscriptione *ΕΡΑΤΩ. ΨΑΛΤΡΙΑΝ.*

TYMPANA in cultu Idaeae Matris Aen. IX, 619. usurpata. Item cymbala Georg. IV, 64:

Tinnitusque cie et Matris quate cymbala circum.

Corybantia aera III, 111. Vide Zoegam Bassirilievi di Roma Tom. I. Tab. 13.

SISTRVM denique Aegyptiacum memoratur VIII, 696:

Regina in mediis patrio vocat agmina sistro.

Servius: „Cleopatra sibi tantum adsumpserat, ut se Isin vellet videri."

De cantu solum memoratu videtur dignum, quod Tuscorum more alternis vocibus in Eclogis praesertim perficitur. Eclog. III, 59:

Alternis dicetis, amant alterna Camoenae.

V, 14:

Carmina descripsi et modulans alterna notavi.

Arcades ambo VII, 5:

Et cantare pares et respondere parati.

18:

Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere; alternos Musae meminisse volebant.

Dir. 1:

Battare, cycneas repetamus carmine voces.

14. 54. 71. Quae cetera de cantu dicuntur a poeta, ad ritus non pertinent.

§. 83.

De conviviis.

Conviviorum ordinem ex carminibus Vergilii describendum duximus, quantum ex uno Didonis copiosius enarrato probabile est, de quo Macrobius II, 1: »Nostrum hoc convivium, ait, quod et heroici seculi pudicitiam et nostri conduxit elegantiam.« In eo primum animadvertendum est, discumbere omnes, more aevi Augustei, non ut apud Homerum considere. I, 697:

Cum venit aulaeis iam se regina superbis
Aurea conposuit sponda mediamque locavit;
Iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.

Cf. picturam Vaticanam in Millin. mythol. Galler. Tab. CLXXVI. nr. 647.* Tyrii 708:

Convenere, toris iussi discumbere pictis.

I, 79:

Tu das epulis adcumbere divom.

Accumbentes etiam cogitandi sunt Troiani III, 224:

Exstruimusque toros dapibusque epulamur opimis.

In terra discumbunt sine dubio I, 173. sqq. et VII, 108. sqq. Duo tamen exstant loci, quibus considentes memorat, primo maiores in curia Latini augusta VII, 175:

Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Attamen Servius iam (cf. Isidor. XX, 11.) e Varrone (cf. fr. p. 236. 249.) docuit, maiores Romanorum sedentes epulatos esse, et Ovid. Fast. VI, 305:

Ante focos olim longis considere scamnis
  Mos erat et mensae credere adesse deos.
Nunc quoque, quum fiunt antiquae sacra Vacunae,
  Ante Vacunales stantque sedentque focos.

Verum non ante Vacunales solum focos, in templo quoque Herculis lectisternium esse non licebat monente Servio ad sacrificium illud ad aram maximam VIII, 176:

Gramineoque viros locat ipse sedili.

cui consentit Macrobius III, 6: »Non vacat, quod dixit *sedili;* nam propria observatio est, in Herculis sacris epulari sedentes, et Cornelius Balbus ἐξηγητικῶν libro XVIII. ait, apud aram maximam

observatum, ne lectisternium fiat.« Sed ad convivia redeamus. Postquam omnes toris discubuerunt, I, 701:

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.

Manuum ante coenam lavatio sine dubio et Graecis et Romanis communis memoratur etiam una cum mantelibus in illo apud Cyrenen convivio Georg. IV, 376:

Manibus liquidos dant ordine fontis
Germanae tonsisque ferunt mantelia villis.

De mantelibus Servius ad illum locum: »Vel minutis, vel compositis; constat enim, maiores mappas habuisse villosas, mantelia vero a manibus ante lotis.“ Varro L. L. VI. §. 85: »Mantelium, ubi manus terguntur.« Cererem deinde i. e. panem canistris distribuunt. Ita ad simplices quoque epulas in litore Carthaginiensi I, 174. primum flammam e silice excitant:

Ac silici scintillam excudit Achates
Suscepitque ignem foliis adque arida circum
Nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam.

Georg. I, 135:

Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.

quod Plinio N. H. XXXVI, 30. explicatur: »Pyritarum etiamnum aliqui genus unum faciunt plurimum habens ignis, quos vivos appellamus et ponderosissimi sunt. Hi exploratoribus castrorum maxime necessarii, qui clavo vel altero lapide percussi scintillas edunt, quae exceptae sulphure aut fungis aridis vel foliis dicto celerius ignem trahunt.« I, 177:

Tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum, frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere saxo.

Quae si accuratius consideraveris, morem Romanorum panem parandi habes his versibus subiectum. Ad quem *Cerealia arma*, molaria (VIII, 250.) praesertim, pertinent. Ita in Moreto, carmine, amoenissimo, 23. Simulus ad eandem operam:

Praeverrit cauda silices geminumque molarem — —
Haec rotat adsiduis gyris et concitat orbem:
Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu.

Molaria maiora Pompeiis detecta sunt ita comparata, ut duplex cavus imponatur simplici solido lapidi. Triticum desuper infusum interiore exterioreque saxo rotato frangitur. Vide Mus. Borbon. Vol. V. Tab. 40. Cf. Monumenti inediti dell instituto archeolog.

1838. Tab. 58. Rusticus deinde v. 40. cribro Cererem purgat, 43:

Laevi tum protinus illam
Conponit tabula, tepidas super ingerit undas;
Contrahit admixtos tum fontis adque farinas,
Transversat durata manu, liquidoque coacto
Interdum grumos spargit sale. Iamque subactum
Laevat opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat inpressis aequo discrimine quadris.
Infert inde foco . . . . testisque tegit, super aggerat ignis.

Quibus versibus poeta dedit accuratissimam panis apud Romanos conficiendi descriptionem, in qua calidam aquam salemque addi a nostro more non discrepat. Cum hoc loco ut comparetur aptissimus erit locus Senecae epist. 90. insignis, qui integrum panificium inlustrat: »Hoc aliquis secutus exemplar [naturae] lapidem asperum aspero imposuit ad similitudinem dentium, quorum pars immobilis motum alterius exspectat: deinde utriusque attritu grana franguntur et saepius regeruntur, donec ad minutiam frequenter trita rediguntur. Tunc farinam aqua sparsit et adsidua tractatione perdomuit, finxitque panem, quem primo cinis calidus et fervens testa percoxit [*testisque tegit* cf. V, 52.], deinde furni paullatim reperti.« Cf. Ovid. Fast. VI, 315:

Suppositum cineri panem focus ipse parabat,
Strataque erat tepido tegula quassa solo.

Aen. I, 179. torrent, antequam saxo frangunt, non quia salo corruptum erat far, sed more aliquo rariore; etenim agricolas monet etiam Georg. I, 267:

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.

In orbem vero panis formatus impressis quadris notatur. E Pompeiis servantur panes Neapoli, in quibus quadras signatas probe potes agnoscere. Quadras poeta etiam VII, 115. Etenim 109:

Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subiciunt epulis — sic Iuppiter ille monebat —
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.

Simplicissima igitur describitur coena e pane pomisque composita; non mirum igitur, quod fames eos cogit 114:

Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti patulis nec parcere quadris.

Tu velim observes panem hoc quoque loco in orbem, ut Moret. 48., formatum et in quadras divisum esse. A Varrone memorantur

L. L. V. §. 106: »Circuli, quod mixta farina et caseo et aqua circuitum aequalibiter fundebant.« Seneca de benefic. IV, 29: »quadra panis.« Atque ad ipsum panem, non ad mensas referenda est locutio: „aliena vivere quadra."

Sed redeuntibus nobis, unde digressi sumus, ad convivium Didonis I, 703. ducentae quinquaginta famulae famulique occurrunt, qui et penum struant, et 705:

Qui dapibus mensas onerent et pocula ponant.

Quaenam dapes conviviis adhibeantur, ex aliis locis possumus augurari, quibus epulae cum sacrificiis coniunguntur. Caro igitur omnium animalium, quae immolabantur, ad escam quoque apponebatur, sale quoque durata; unde de rustico Moret. 56:

Non illi suspensa focum c a r n a r i a iuxta,
D u r a t i sale t e r g a s u i s truncique, vacabant;
Traiectus medium sparto sed c a s e u s orbem
Et vetus adstricti fascis pendebat a n e t h i.

Plin. N. H. XIX, 52: „Anethum culinis." *Pinguis caseus* Eclog. I, 35. *ingratae urbi* premitur. Moret 97:

Sale durus adeso
Caseus adiicitur.

Cf. Cop. 17:

Sunt et c a s e o l i, quos iuncea fiscina siccat,
Sunt autumnali cerea p r u n a die,
Castaneaeque n u c e s et suave rubentia m a l a;
Est hic munda C e r e s, est Amor, est Bromius.
Sunt et m o r a cruenta, et lentis u v a racemis,
Et pendet iunco caeruleus c u c u m i s.

Cf. Eclog. II, 48—53. Sed longum erit, neque ullius momenti, olera omnia esculentaque rustica, qualia Moret. 72—85. et variis Georgicorum locis (v. g. II, 85.) leguntur, vel vina etiam Georg. II, 90—102. enumerari. Ipsum moreti parandi usum e poetae ipsius versibus melius nosse poteris. Quaedam tamen non possum quin addam. Romanorum enim maxime propria erat mensa secunda, qua poma et bellaria vinaque denuo apponebantur. Hunc, nisi fallor, morem spectavit Maro Aen. I, 723:

Postquam p r i m a q u i e s epulis, mensaeque remotae,
Crateras magnos statuunt et vina coronant.

ubi Servius: „Licet sub extranea persona Romanorum tamen exsequitur morem, apud quos duae mensae erant, una epularum, altera poculorum." Expressis verbis mensam secundam nominat VIII, 283:

Instaurant epulas et mensae grata secundae
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.

ubi Servius: »quia, ut diximus supra (Aen. I, 216.), una carnis fuerat, altera pomorum.« Lamprid. Sever. Alex. 37: »Pomis vehementer indulsit, ita ut secunda mensa illius saepe poneretur.« Georg. II, 101:

Non ego te, Dis et mensis accepta secundis,
Transierim, Rhodia, et tumidis, Bumaste, racemis.

ubi Servius: »Pomorum scilicet.« Uva quoque, nux et ficus ad haec bellaria pertinebant teste Horat. Sat. II, 2, 121., ubi Acro addit, mensam secundam illam quoque convivii partem appellari, qua non cibis sed datur opera poculis. Quod in Aen. I, 723. et Georg. II, 101. magis quadrat.

In tali vero comissatione videmus loco priore vina deinde coronari. Quod cave ne putes ex Homerico ἐπεστέψαντο ποτοῖο ductum esse. Mutavit poeta verba Homeri, ut solet, in suum morem. Servius ait: „Antiqui coronabant pocula et sic libabant.“ non pocula solum, sed III, 525:

Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit inplevitque mero, divosque vocavit.

VII, 146:

Certatim instaurant epulas, adque omine magno
Crateras laeti statuunt et vina coronant.

Georg. II, 527:

Ipse dies agitat festos, fususque per herbam,
Ignis ubi in medio et socii cratera coronant. . .

Tales crateras in mediis conviviis arte sculpendi expressis saepenumero stantes vides.

Libatione peracta Dido poculum verecundius tantum tangit, quemadmodum et mulieres Romanae vino erant abstemiae, I, 737:

Primaque, libato, summo tenus attigit ore,
Tum Bitiae dedit increpitans; ille inpiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro,
Post alii proceres.

Quod a summo bibere a Romanis vocatur. — Quodsi denique Iopas carmen astronomicum convivis canit, in eo sane patrium Romanorum morem agnoscere non poteris, — ansam certo dedit poeta Graecus — aevi tamen sui et posterioris, quum iam anno V. C. DLXIII. teste Livio XXXIX, 6: »psaltriae sambucistriaeque et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis fuerint.“ Augustus in coena (Sueton. Octav. 74.): „et ad communionem sermonis tacentes vel

submissim fabulantes provocabat, et aut acroamata et histriones aut etiam triviales ex circo ludios interponebat ac frequentius aretalogos." Nero quoque apud Sueton. 20: „diebusque continuis [Terpno citharoedo] post coenam canenti in multam noctem adsidens paullatim et ipse meditari exercerique coepit." Hadrianus teste Spartiano 26: „in convivio tragoedias, comoedias, Atellanas, sambucas, lectores, poetas pro re semper exhibuit."

§. 84.

De re medica.

Rei medicae rara Vergilii carminibus est mentio. Huc refero, quod Aeneas X, 315:

Inde Lichan ferit, exsectum iam matre perempta,
Et tibi, Phoebe, sacrum, cassus evadere ferri
Quod licuit parvo.

Res erat iuris Romani iam antiquitus sanciti teste Marcello Dig. XI, 8, 2: »Negat lex regia mulierem, quae praegnans mortua sit, humari, antequam partus ei excidatur; qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur.« Paullus Dig. L, 16, 132: »Falsum est, eam peperisse, cui mortuae filius exsectus est.« Ex historia quoque Romana plures ita nati fuerunt inlustres. Cf. Plin. N. H. VII, 7: »Auspicatius enecta parente gignuntur, sicut Scipio Africanus prior natus, primusque Caesarum a caeso matris utero dictus, qua de causa et Caesones appellati. Simili modo natus et Manilius, qui Carthaginem cum exercitu intravit.« Servius: »*Et tibi Phoebe sacrum.* Omnes, qui secto matris ventre procreantur, ideo sunt Apollini consecrati, quia deus medicinae est, per quam lucem sortiuntur. Unde Aesculapius eius fingitur filius; ita enim eum procreatum supra (VII, 761.) diximus. Caesarum etiam familia ideo sacra retinebat Apollinis, quia, qui primus de eorum familia fuit, exsecto matris ventre natus est.« Cf. Serv. Aen. I, 285.

Memorandus deinde est, qui ab ἰᾶσθαι nominatur, XII, 391:

Phoebo ante alios dilectus Iapis
Iasides . . . . : — — —
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit et mutas agitare inglorius artis.

Sed quam diversa sit Homerica simplicitas Il. IV, 218. et XI, 846. a cultu descriptionis Vergilianae, comparatione diligentiore instituta ipse intelliges. Observa inter alios, quod Iapis 400. *retorto succinctus amictu* 403:

Spicula dextra
Sollicitat prensatque tenaci forcipe ferrum.

ubi medicus non manu sola, sed suo iam instrumento forcipe utitur. Tu conferas praecepta de sagittis recipiendis in Celsi Medic. VII, 5, 2: »Si iam illa [arundo] decidit, solumque intus ferrum est, mucro vel digitis apprehendi vel forcipe atque ita educi debet.« Venus deinde medico frustra temptante Dictamnum 411. adhibet, 414:

Non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres haesere sagittae.

Cf. Cic. N. D. II, 50: »Capras autem in Creta feras, quum essent confixae venenatis sagittis, herbam quaerere, quae dictamnus vocaretur, quam quum gustavissent, sagittas excidere dicunt e corpore.“ Extremo loco Iapis spargit 419:

Ambrosiae sucos et odoriferam panaceam.

Cf. Plin. N. H. XXV, 11: „Panaces ipso nomine omnium morborum remedia promittit, numerosum et diis inventoribus ascriptum.“

Alia quaedam artis medicae experimenta per Georgica sunt sparsa. Ut veterinariam (v. g. III, 440. 566.) taceam, huc pertinet de malo medico II, 134:

Flos ad prima tenax; animas et olentia Medi
Ora fovent illo et senibus medicantur anhelis.

Cetera ad artem magicam pertinent.

§. 85.

De venatione.

In animo quoque fuit, de agricultura Romanorum e poeta quaedam addere; verum quum non singuli carminis unius versus, sed integra Georgica fuissent describenda, interpretanda, vitam rusticam ab illa, quam adumbravi, vita P. R. urbana seiungendam esse duxi. Venationis solius liceat pauca hic artificia delibari. Iove regnante Georg. I, 139:

Tum laqueis captare feras, et fallere visco
Inventum, et magnos canibus circumdare saltus.

Cf. Eclog. X, 57. Inventa etiam sunt IV, 131:

Retia rara, plagae, lato venabula ferro
. . . . *et odora canum vis.*

ubi Servius: „Sciendum tamen, inquit, proprie plagas dici funes illos, quibus retia tenduntur circa imam et summam partem.“ (Isidor. XIX, 5, 1.) Apud Scythas cervos per nivem Georg. III, 371:

Hos non inmissis canibus, non cassibus ullis
Puniceaeve agitant pavidos formidine pinnae.

ubi Servius: „*Cassibus* i. e. retibus.« Cf. Aen. XII, 749:

Inclusum veluti siquando flumine nactus
Cervom aut puniceae saeptum formidine pinnae
Venator cursu canis et latratibus instat.

quae pinnae in funibus ad terrendas bestias fixae dicuntur. De canibus ibid. 409:

Saepe etiam cursu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem, canibus venabere dammas;
Saepe volutabris pulsos silvestribus apros
Latratu turbabis agens, montisque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervom.

Cervos etiam venatur Aeneas I, 184—193. sagittis missis Iulus, qui artem venatoriam (IV, 156—159.) amat, VII, 480—500. cervum Silviae sternit. Tempore hiberno poeta ait Georg. I, 307. tempus esse:

Tum gruibus pedicas et retia ponere cervis,
Auritosque sequi lepores; tum figere dammas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundae.

In versu illo IV, 121:

Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt.

quidam putaverunt inesse rationem obscuriorem ad quattuor officia ab Isidoro X, 282. memorata: „Venatorum autem sunt quattuor officia: vestigatores, indagatores, alatores, pressores.“ Cf. Serv. auct. ad nostrum locum. Sed vereor ne poetae intrudatur doctrina quaedam spinosa et contorta. Quodsi vero instrumenta enumeres, varium genus vides, retia, casses, pedicas, laqueos, plagas, venabula, pinnas, fundam, viscum canesque, ita ut omnia fere venandi artificia a poeta nostro sint commemorata. Quod nequaquam mirum videri oportet, quoniam antiquos Italiae populos, quanquam *rabida tigres absunt et saeva leonum Semina* (Georg. II, 151.) *asper victu venatus alebat* VIII, 318. Cf. VII, 746:

Horrida praecipue cui gens, adsuetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glaebis.

IX, 605:

Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant.

Omnino igitur et e Veneris venatricis habitu Aeneae obviae I,315—324., ex Ida venatrice IX, 177., Camilla ipsa, e venatione libri primi, quarti et septimi, e comparationibus de venatoribus institutis IX,

551. et XII, 749., e ceteris omnibus modo allatis apparet, poetam hanc artem insigni amore esse prosequutum.

§. 86.

De funeribus.

Quae apud antiquos, Romanos inprimis, exstitit sepulchrorum religio, ea ex opinione nata est, mortuos insepultos in quietem non admitti, sed errare circa Stygiam paludem centum, ut Vergilius VI, 329. (cf. VI, 371.) ait, annos. Qua ex causa iis, qui remoti a patria diem supremum obierant, tumulum exstruebant inanem sive honorarium. Tale cenotaphium describit poeta VI, 505:

Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem
Constitui, et magna Manis ter voce vocavi.
Nomen et arma locum servant; te, amice, nequivi
Conspicere et patria decedens ponere terra.

Nisus optat IX, 213:

Sit, qui me raptum pugna pretiove redemptum
Mandet humo, solita aut siqua id fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decoretque sepulchro.

III, 303:

Libabat cineri Andromache Manisque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem caespite inanem
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.

Ad quem locum respexit Martianus Dig. I. 8. fr. 7: »Cenotaphium quoque magis placet locum esse religiosum, sicut testis in ea re est Vergilius.“ Ceterum quod caespite Andromache tumulum conficit, in more fortasse positum erat, quum Sueton. de Caligula 59: „Cadaver eius clam in hortos Lamianos asportatum et tumultuario rogo semiambustum levi caespite obrutum est.“ Aeneas ad Palinurum VI, 378:

Nam tua finitimi, longe lateque per urbes
Prodigiis acti caelestibus, ossa piabunt,
Et statuent tumulum et tumulo sollemnia mittent.

ubi Servius: „De historia hoc traxit; Lucanis enim pestilentia laborantibus respondit oraculum, manes Palinuri esse placandos, ob quam rem non longe a Velia et lucum et cenotaphion ei dederant.“ Sueton. Claud. 1: „Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit.“ Omnium notissima sunt Cenotaphia Pisana in honorem C. et L. Caesarum Augusti filiorum exstructa. Quodsi non tumuli exstruebantur, religionis Romanorum fuisse, pulverem

saltem iniici, ubi cadaver viderent, ex Horat. carm. I, 28, 23. et 36. scimus, quicum conferas Aen. VI, 365:

Aut tu mihi terram
Inice, namque potes.

His funerum modis opponitur iustus manes condendi ritus, qualis nominatur a Plin. epist. VII, 27. et Cenotaph. Pisan. I, 22: VSQVI. AD. EAM. DIEM. QVA. OSSA. RELATA. ATQVE. CONDITA. IVSTAQVE. EIVS. MANIBVS. PERFECTA. ESSENT. Quae iusta a morte ad exsequias usque variis moribus constabant.

Romano enim iamiam morituro proximos et cognatos dantes amplexus et oscula quasi animam ore excepisse quum multis aliis indiciis scimus, tum ex Cic. Verr. V, 45. §. 118: „[Matres] ab extremo complexu liberum exclusae, quae nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret.« quem locum Servius laudat ad IV, 683:

Date, volnera lymphis
Abluam, et, extremus siquis super halitus errat,
Ore legam.

Deinde mos erat, ut modo mortuis oculos clauderent. Plin. N. H. XI, 55: „Morientibus [oculos] operire rursusque in rogo patefacere, Quiritium ritu sacrum est, ita more condito, ut neque ab homine supremum eos spectari fas sit, et caelo non ostendi nefas.« Quem poeta luculenter expressit matre Euryali querente IX, 486:

Nec te tua funere mater
Produxi, pressive oculos.

In ipso autem mortis momento et post mortem conclamare solebant mortuis, unde Anchises II, 644:

Sic o sic positum adfati discedite corpus.

Euryali mater IX, 683:

Nec te, sub tanta pericula missum,
Adfari extremum miserae data copia matri.

Ad priorem locum Servius: „Praestate mihi vos funebre solatium i. e. adfamini me, ut dici mortuis solet: vale, vale, vale.“ Ovid. Trist. III, 3, 43:

Nec mandata dabo? Nec cum clamore supremo
Labentes oculos condet amica manus?

87:

Accipe supremo dictum mihi forsitan ore,
Quod, tibi qui mittit, non habet ipse, vale.

Metam. X, 62:

Supremumque vale.

Caerimoniam conclamationis vides arte expressam apud De Clarac musée des sculptures antiques et modernes. Planches II, Tab. CLIII, 333. CLIV, 332.

Corpus autem depositum (Aen. II, 644. IV, 681. XII, 395.) lavabatur aqua calida et unguebatur. Apud Servium ad Aen. VI, 219. Ennius:

Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.

Locus Vergilii hic est:

Pars calidos latices et aena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt.

IV, 683:

Date, volnera lymphis
Abluam.

IX, 487:

Pressive oculos aut volnera lavi.

Prius autem quam efferretur, in vestibulum collocabatur et a custode servabatur. Apuleius Metam. II. p. 39. ed. Bipont.: „Si qui mortuum servare vellet, de pretio liceretur." Cf. Aen. XI, 29:

Sic ait inlacrimans recipitque ad limina gressum,
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes
Servabat senior.

Diversa autem erant genera mortuos sepulchro condendi, diversa et ex eorum aetate et dignitate. Eorum qui pueri vel iuvenes e vita decesserant, funera vocabantur immatura seu acerba. (Cf. Tacit. Ann. XIII, 17. Auson. Parental. XIV. fin.) Non dubium igitur est, quin haec appellatio artificiosa lateat de infantum animis Aen. VI, 428:

Quos dulcis vitae exsortis et ab ubere raptos
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.

XI, 28. XI, 166. Mortui deinde servari solebant octo dies, unde de Anchisae inferiis V, 64:

Praeterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit radiisque retexerit orbem . . . .

ubi cf. Servius, qui idem ad VI, 218: „Servabantur, ait, cadavera octo diebus." Prioribus porro temporibus a Romanis nocte efferebantur, unde facularum usus remansit etiam, quum inter diei lucem sepeliebantur. Ita Tacitus in funere Germanici Ann. III, 4: „collucentes per campum Martis faces" memorat. Eundem morem testatur Servius ad Aen. V, 4. VI, 224. Quapropter mirum non est, a poeta XI, 142. ita Pallantis exsequias institui:

Arcades ad portas ruere, et de m o r e v e t u s t o
F u n e r e a s *rapuere* f a c e s; *lucet via longo*
Ordine flammarum, et late discriminat agros.

Atque eo aptius tale funus videbitur consideranti, a c e r b u m h. l. indicari, quod ad faces et cereos duci ex Seneca (Epist. 122. §. 10. de tranquill. anim. 11. de brevit. vit. 20. fin.) compertum habemus.

Lamentatione tum peracta super membra in torum reposita — qui torus interdum fronde inumbrabatur et floribus spargebatur, cf. VI, 884. XI, 64—71. — purpureae vestes coniiciuntur, ut de Miseno VI, 220:

Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestes, velamina nota,
Coniciunt.

Ad Pallantis quoque funus XI, 72:

Tum geminas vestes auroque ostroque rigentis
Extulit Aeneas — —
Harum unam iuveni supremum maestus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu.

ubi sine dubio ricas vel ricinia in animo habuit poeta. Cf. Festus: »Ricae et riculae vocantur parva ricinia, ut palliola a d u s u m c a p i t i s facta.« Idem Paullus ex Festo. Nonius s. v. Ricinium laudat Varronem lib. I. de vita P. R. (fr. p. 238.): »Et quo mulieres in adversis rebus et luctibus, quum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.“ Idem s. v. Pullus Varronem lib. III. de vit. P. R. (fr. p. 247.): »Ut, dum supra terram essent, ricinis lugerent, funere ipso, ut pullis pallis amictae.“ Cf. Cic. leg. II, 23, 59. de tribus riciniis ex lege XII Tabularum loquitur. Suetonius de funere Caesaris 84. narrat: „Deinde tibicines et scenici artifices, vestem, quam ex instrumento triumphorum ad praesentem usum induerant, detractam sibi atque discissam, iniecere flammae.“

Exsequiarum vero pompa certo ordine deducebatur; aderant siticines seu tubicines (Gell. XX, 21. Cic. leg. l. l.), unde in funere Pallantis XI, 192:

It caelo clamorque virum c l a n g o r q u e t u b a r u m.

ubi Servius: „Ante enim mortui ad tubam deducebantur.“

Praeter alia etiam victorum hostium spolia in funeribus adhiberi solebant, ut e Sueton. Caesar. 84. aliis videmus. Huc spectant illa Vergilii in funere Pallantis XI, 78:

Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
Aggerat, et longo praedam iubet ordine duci.

Addit equos et tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos mitterat umbris
Inferias, caeso sparsurus sanguine flammam;
Indutosque iubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.

Servius: „Dicit autem adfixos trophaeis titulos cum nominibus occisorum." Quod apud Romanos moris fuisse scimus e Tacito de funere Augusti Annal. I, 8: „Ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius, ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, Lucius Arruntius censuere.« In funere quoque Caesaris apud Sueton. 84. exstructum erat ad caput tropaeum cum veste, in qua fuerat occisus." In Cenotaphio Pisano C. Caesaris arcus praecipitur exstruendus ORNATVS. SPOLEIS. DEVICTARVM. AVT. IN. FIDEM. RECEPTARVM. AB. EO. GENTIVM. — In Germanici exsequiis (Tacit. Ann. III, 2.) „praecedebant incompta signa, versi fasces." Quem morem fasces vertendi Vergilius tetigit XI, 92:

Tum maesta phalanx Teucrique secuntur
Tyrrhenique omnes et versis Arcades armis.

Filios porro capite velato, nudo filias et capillis demissis adfuisse funeribus disertis verbis tradit Plutarch. Q. R. XIV. Harum habitum tenuit poeta XI, 34:

Circum omnis famulum manus Troianaque turba
Et maestum Iliades crinem de more solutae.

ubi illud *de more* ad Romana semper instituta spectat. (Cf. De morum in V. A. habitu. p. 23.) Ad Polydori funus instauratum stant III, 65:

Et circum Iliades crinem de more solutae.

Lugentes pectora faciemque carpebant interdum, ut testantur Cic. leg. II, 23, 59: MVLIERES. GENAS. NE. RADVNTO. Arnob. V, 17. et Vergilius Aen. I, 481:

Suppliciter tristes et tunsae pectora palmis.

Anna Didonis soror IV, 673:

Unguibus ora foedans et pectora pugnis.

Cf. XI, 86. De Pallante XI, 37:

Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus.

XII, 605:

Filia prima manu flavos Lavinia crinis
Et roseas laniata genas.

fortasse spectavit poeta legem XII Tab.: MVLIERES. GENAS. NE. RADVNTO. vel ut Servius adfert: MVLIER. FACIEM. NE.

CARPITO. Varro fr. p. 374: „dicit, mulieres in exsequiis et luctu ides solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant.“ Silentio praetereo, quod comae in luctu pulvere spargantur (Aen. X, 844. XII, 611.), exemplo fortasse Priami Homerici desumpto, sed memoratu dignum, quod apud Homerum non legitur, vestes scindi, XII, 609:

It scissa veste Latinus.

Nuntio de navibus combustis allato V, 685:

Tum pius Aeneas umeris abscindere vestem.

In Caesaris funere apud Sueton. 84. tibicines et scaenici artifices vestem detractam sibi atque discissam iniecere flammae. — Laudationem solitam (Polyb. VI, 53, 2.) Pallanti Aeneas XI, 42—58. perficit. — Ad ipsum rogum arbores adhibebantur ferales, cupressus prae omnibus, III, 63:

Stant Manibus arae,
Caeruleis maestae vittis atraque cupresso.

ubi Servius: „Moris autem Romani fuerat, ramum cupressi ante domum funestam poni, ne quisquam pontifex per ignorantiam pollueretur ingressus.“ VI, 214:

Principio pinguem taedis et robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, et ferales ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.

Servius: „Cupressus adhibetur ad funera, vel quod caesa non repullulat, vel quod per eam funestata ostenditur domus, sicut laetum frondes indicant festae. Varro tamen dicit (fr. p. 374.), pyras ideo cupresso circumdari propter gravem ustrinae odorem, ne eo offendatur populi circumstantis corona.“ Eadem est sine dubio *frons funerea* IV, 506. et *obtentus frondis* XI, 66. Aliae etiam supra memorantur et VI, 180:

Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex,
Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur, advolvont ingentis montibus ornos.

Taeda atque ilice Dido quoque utitur IV, 504:

At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti taedis adque ilice secta.

De picea Plin. N. H. XVI, 18: „Feralis arbor et funebri indicio ad fores posito ac rogis virens.“

Cadavere in rogum imposito per cognatos facie aversa incendebatur rogus. Cf. Lucan. II, 300. In Miseni funere VI, 222:

Pars ingenti subiere feretro,

Triste ministerium, et subiectam more parentum
Aversi tenuere facem.

Sueton. Caes. 84. In rogum vero urentem non solum arma, ornamenta, victimae coniiciebantur, sed alia quoque munera, odorifera praesertim. VI, 224:

Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.

De libationibus iam supra disputavimus, attulimusque inter alia Arnob. VII, 20., qui tura et salsas fruges ad sacrificia infera peragenda nominat; eundem h. l. propter *turea dona, dapes* laudabimus, qui VII, 51: „Haec, ait, sunt dona certissima, sacrificia haec vera; nam pulticulae, tura cum carnibus, rapacium alimenta sunt ignium et parentalibus coniunctissima mortuorum.“ De odoribus adde Tacit. Ann. III, 2: „Pro opibus loci vestem, odores aliaque funerum sollemnia cremabant.“ Pers. Sat. VI, 34: „Urnae Ossa inodora dabit . . . . . „Aeneas XI, 78. arma, equos, tela et captivos in rogum Pallantis comburenda coniicit. In Caesaris rogum (Sueton. 84.) „Confestimque circumstantium turba virgulta arida et cum subselliis tribunalia, quidquid praeterea ad donum aderat, congessit: deinde tibicines et scaenici artifices vestem.... et veteranorum militum legionarii arma sua, quibus exculti funus celebrabant; matronae etiam pleraeque ornamenta sua, quae gerebant, et liberorum bullas atque praetextas.“

Ossa cremata vino interdum aspergebantur urnaque legebantur. Cautum erat XII Tabulis (Cic. leg. II, 24, 60.), NE. SVMPTVOSA. RESPERSIO. Sed iam Numa idem praeceperat, teste Plin. N. H. XIV, 14: „Numae regis Postumia lex est: VINO. ROGVM. NE. RESPERGITO. Ex his igitur potius, quam ex Homerico αἴθοπι οἴνῳ, poeta illa duxit VI, 226:

Postquam conlapsi cineres et flamma quievit,
Reliquias vino et bibulam lavere favillam,
Ossaque lecta cado texit Corynaeus aeno.

Cf. Tibull. III, 2, 19:

Et primum annoso spargant collecta Lyaeo
Mox etiam niveo fundere lacte parent.

Sed Vergilii versus 228. etiam eo momento ab Homero discrepat, quod Hectoris ossa ἐς χρυσέην φιάλην ponuntur, Miseni *cado aeno* teguntur. — Ossibus compositis, qui funeri adfuerant, aqua lustrali a pollutione contracta purgabantur. Quem ritum vere Romanum satis inlustravit Servius ad VI, 229:

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi et ramo felicis olivae,
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.

»Sed moris fuerat, ut de lauro fieret. Sane dicit Donatus, quod hoc propter Augustum (?) mutavit; nam nata erat laurus in palatio eo die, quo natus est Augustus, unde triumphantes coronari consueverant, propter quam rem noluit laurum dicere ad. officium lugubre pertinere.« In illo, quem habemus, Donati commentario, tale quidquam non repperi. Simile quid narrat Plinius N. H. XV, 40. qui idem: „Eadem [laurus] purificationibus adhibetur." Item dicitur Vergilius (Macrob. III, 12.) laurum in sacrificio apud aram maximam mutasse, sed ibi populeam coronam propter Herculem posuit. Ceterum oleae folia ad defunctos quoque pertinent. Cf. Plin. N. H. XXXV, 46: „Quin et defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluere, sicut M. Varro, Pythagorico modo, in myrti et oleae atque populi nigrae foliis." *Novissima verba* Servius putat esse illud ilicet, „nam vale dicebatur post tumuli quoque peracta sollemnia." Sed eodem fere ordine Aeneas XI, 97:

Salve aeternum mihi, maxume Palla,
Aeternumque vale.

Cf. Serv. ad Aen. II, 644. III, 68. V, 80:

Salve, sancte parens, iterum salvete recepti
Nequiquam cineres, animaeque umbraeque paternae.

Tumulus deinde vel bustum vel sepulchrum ossibus imponebatur atque insignia, nomen laudesque addebantur. VI, 232:

At pius Aeneas ingenti mole sepulchrum
Inponit, suaque arma viro remumque tubamque,
Monte sub aerio . . . . . .

In quo remum (εὐῆρες ἐρετμόν) ab Homero sane deprомptum esse lubet existimari, tubam poeta addidit. Memorat porro XI, 200: *semiusta busta,* 849:

Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.

Carmen inscribendum memorat Eclog. VI, 42:

Et tumulum facite et tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

Iocosam amoenamque talis tumuli congerendi descriptionem legas Cul 389—409:

His tumulus super inseritur, tum fronte locatur

Elogium, tacita format quod litera voce:
Parve Culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

Interdum loco nomen dabatur a mortuo, ut a Miseno VI, 234., a Palinuro 381., a Rhoeteo 507., a Caieta VII, 2. Memoria vero mortui parentalibus institutis servabatur. Ad Aeneam ea ab Ovidio Fast. II, 543: referuntur:

Hunc morem Aeneas, pietatis idoneus auctor,
  Attulit in terras, iuste Latine, tuas.
Ille patris genio sollemnia dona ferebat;
  Hinc populi ritus edidicere pios.

Revera parentalia illa in honorem Anchisae instituta magnam rituum copiam continent partim iam tractatorum. Inter alia Aeneas V, 79: *Purpureosque iacit flores.* Cf. VI, 884:

Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores.

Cul. 396:

Hic et acanthus
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violae omne genus . . . .

Similia inscriptiones de parentalibus probant, Orell. 4415: ROSAS. ET. PROFVSIONES. 4417: EX. HORVM. HORTORVM. REDITV. NATALI. MEO. ET. PRAEBEANT. ROSAM. IN. PERPETVVM. 4418: VT. EX. REDITV. EOR. LARGIVS. ROSAE. ET. ESCAE. PATRONO. SVO. ET. QVANDOQ. TIBI. PONERENTVR. 4419: ESCAS. ROSALES. ET. VINDEMIALES.

Denique ludi habebantur interdum. Cf. Cic. leg. II, 24, 61: »Reliqua sunt in more, funus ut indicatur, siquid ludorum, dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus.« Varro apud Augustin. C. D. VIII, 26. (fr. p. 229.) »et ludos commemorat funebres, tanquam hoc sit maximum divinitatis indicium, quod non soleant ludi nisi numinibus celebrari.« Inde apud Vergilium omnis illa descriptio ludorum Sicilianorum maximam partem e variis ludis praesertim circensibus Romae alias habitis adumbrata (Cf. Georg. II, 530. III, 19. 103. 202. cet.), e quibus quasi praetereuntes ludum Troiam tangimus, ab Augusto (Sueton. 43.) maxime adamatum. Memorantur etiam a Varrone vit. P. R. III. (Non. s. v. Naenia) fr. p. 247: »Ibi a muliere, quae optima voce esset, perquam laudari, deinde naeniam cantari solitam ad tibias et fides eorum, qui ludis Troicis cursitassent. Haec mulier vocitata olim praefica usque ad Punicum bellum.«

Index locorum.

Eclog.
I.
43— 27. 213.
III.
36—251.
V.
65—210.
66—168.
VII.
33—183.
VIII.
65—183.
73—194.
80—193.
85—195.
Georg.
I.
303—126.
344—188.
345—211.
464—201.
474—202.
480—206.
II.
101—262.
284— 57.
III.
24— 35.
346— 61.
486—178.
IIII.
498—148.
538—178.
561— 7.
Aen.
I.
148— 25.
263— 7.
292— 7.
421— 31.
425— 30.
426— 21.
427— 32.
448—222.
455—255.
505— 23.
506— 14.
507— 6.
522— 6.
632—174.
633—167. 214.
647— 12.
649—243.
653— 16.
654— 15.
697—258.
736—187.
II.
375— 50.
422— 50.
453—227.
469—223.
487—226.
511—159.
681—199.
692—197.
693—198.
718—175.
III.
20—168.
58— 21.
63—160.
66—189.
80— 9.
90—208.
108— 30.
134— 31.
137— 6.
176—186.
305—161.
349— 36.
350—209.
437—184.
464— 14.
470— 15.
476— 64.
484—244.
537—110.
545—176.
IIII.
102— 5.
103—235.
166—141. 237.
219—161.
262—246.
418—126.
453—205.
457—203.
462—204.
471— 33.
487—192.
507—193.
515—195.
517—195.
638—140.
698—180.
V.
77—189.
84—154.
87—204.
96—167.
116—124.
120—125.
237—181.
250—245.
259— 64.
266—211.
269—190.
287— 33.
310— 93.
340— 33.
744—182.
755— 30. 31.
757— 23.
759— 6.
VI.
20—223.
56—184.
164— 45.

166— 46.
224—188. 272.
243—212.
245—180.
254—188.
431— 19.
505—266.
566— 20.
608—232.
624— 7.
724—134.
772—189.
842—229.
856—106.
894—106.

VII.

64—208.
71—199.
81—209.
154—111.
157— 37.
162— 61.
168— 14.
170— 9.
173— 18. 23.
175—258.
177—224.
178—151.
187— 13.
245— 15.
246— 6. 17.
248— 12.
256— 4.
266— 4.
342— 4.
611— 18.
612— 13.
617— 8.
637— 44. 50.
639— 64.
682—141.
687— 90.
706— 28.
730— 88.
732— 83.
741— 87.
799—139.
800—142.

VIII.

1— 48.
22—225.
68—177.
276—191.
279—187.
285—163.
322— 6.
362— 9.
483— 4.
505— 17.
514— 68.
524—197.
526— 45.
561—105.
638— 26.
641—118.
654— 9.
661— 81.
670— 7.
693—125.
704—144.
814— 13.

IX.

25— 56.
38— 47.
52— 43.
110—198.
159— 98.
161— 58.
174— 99.
226— 8.
274— 28.
296—234.
327— 9.
359— 91.
367— 52.
458— 92.
476—240.
487— 96.
486—267.
588— 90.
616—241. 247.
703— 87.
707— 64.

X.

123— 56.
166— 51. 55.
172— 55,
173— 56.
178— 55.
182— 51.
201— 26.
213— 64.
228— 93.
364— 62.

XI.

72—269.
193—105.
197—167.
234— 22.
316— 28.
321— 41.
330—113.
334— 11. 13.
463— 58.
500— 58. 62.
579— 89.
770— 64.

XII.

116—116.
119—160.
161— 17. 18.
162— 27.
170—167.
172—176.
190— 5.
201—161.
266— 43.
473—225.
519— 25.
766—159.
899— 28.

Index rerum et verborum.

A.

absoindere saetas 180.
acies 56.
accumbere 258.
aclys 87 (81. v. 39.).
acus 249.
adsis 184.
adyta 157.
aes 194. 222.
agger 97.
agitatus 34.
agna 170.
agri 29.
ala 58.
ammenta 82.
angues 154. 204.
antiqui mores 217.
Anxur 139.
apex 174.
Apollo 143.
aqua 117.
arae 160.
arbores 159. 193. 271.
arcus 85.
aries 102.
arva 29.
arx 31.
atrium 225.
augures 165.
Augustus 143.
aula 226.
aurum 178. 253.

B.

Bacchus 150.
balteus 250.
bellum 41.
bidentes 171.
bipinnis 86.
bubo 204.
bucina 46.
bulla 250.

C.

caelata 251.
canis 224.
cantus 257.
caper 169.
caput velare 175.
carbasus 247.
castra 95.
cataphracti 64.
cateia 87.
caterva 60.
cavaedium 226.
cavea 33.
cenotaphium 266.
centum 115.
centum columnae 10.
centum oratores 114.
cerea effigies 193. 224.
Ceres 148.
chlamys 243.
circumtextum 243.
cithara 257.
civica corona 189.
clamor 46.
classicum 44.
Claudia tribus 28.
Clausus 28.
cohors 57.
color 172.
colus 240.
combustio armorum 105.
cometae 202.
comparationes 25. 57.
concilium 22.
condere urbem 30.
continentia 221.
convivia 258.
cornu 46.
corona 16. 126. 189. 262.
cothurnus 248.
crines 249.
culter 173. 180.
cunei 33.
curia 23.
currus 109.
Cybele 150.

D.

diadema 249.
Diana 144.
dicta 237.
dii 120. 138.
Dis 140.
divinatio 196.
dolo 83.
dos 235.
duo 161. 210.
duodecim 27. 213.

E.

eburnea 253.
ensis 82.
epulae 181.
equi 15. 62.
equites 52.
examen 206.

excubiae 98.
exercitationes 61.
eximius 177.
exta 181.

F.

falcatus ensis s. falx 83. (81. v. 39.)
far pium 182.
fasces 18.
fatum 136.
fauces 227.
Faunus 153. 209.
fausta omina 196.
fax 198. 238.
Feronia 142.
ferrum 222. 252.
fetiales 43.
fibula 248.
figere leges 7.
fistula 256.
flamines 164.
Flumina 155.
foci 162.
foedus 116.
fores 223.
fortitudo 220.
fossa 97. 101.
funda 89.
funera 266.
fusus 240.

G.

Gabina Iuno 141.
gaesa 81.
gemmae 254.
Genius 153.
gentes 227.
gladius 82.
glans 90.
Gradivus 146.
gramen 117.
gramineae arae 116. 160.

H.

Helenus 209.
herbae 194.
hippomanes 195.
hirquus 169.
Homerus 3. 13. 17. 25. 27. 44. 57. 63. 105. 109. 112. 115. 118. 120. 121. 124. 137. 166. 176. 180. 189. 192. 207. 221. 240. 254.
honor 174.

I.

ianitor 230.
Ianus 152.
ignis 87. 113. 117. 198.
imagines 151. 224.
imperium 8.
incubare 209.
indicere 174
infausta omina 201.
inferna Iuno 143.
infula 176. 178.
iniuges 177.
insignia consulum 18.
insignia regum 9.
iudex 20.
Iuno 140. 153.
Iuppiter 138.
iura dare 6. 7.
ius privatum 232.
iustitia 218.
iuvencus 168.

L.

labra 225.
lac 188.
laena 246.
lances 173.
lanificium 239.
laquaearia 225.
laurus 190. 191.
lectus 238.
legati 112.
legio 51.
liba 183.
libationes 187.
Liber 150.
limen 221.
litare 174.
lituus 173.
Loci scriptorum emendantur 54. 88. cet.
lorica 63.
luctus 270.
ludi 274.
Luperci 164.
lustratio 168. 273.
lyra 257.

M.

magia 192. 234
Magni Dii 149.
manipulus 58.
manum iniicere 232.
Mars 145.
medica ars 263.
mensa 187.
mensa secunda 261.
Mercurius 148.
militaria verba 93.
mille 55.
Minerva 147.
mitra 247.
mola 179. 182.
molaria 259.
monile 16. 250.
mulieres 166.
munera potentum 25.
musica 256.
myrtus 191.

N.

naves 121.
Neptunus 147.
nomina 231.
nomina navium 124.
nuces 239.
nuptiae 236.
Nymphae 156.

O.

obsidio 100.
olea 111. 190.
oleum 188.
omina 196.
opima 106.
optare 30.
oracula 208.
oriens 177.
ornamenta 248.
ostrum 246.
oves 171.

P.

pacem petere 185.
pacta 236.
Palatina domus 9.
palla 12. 242.
palmas tendere 186.
panis 259.
patera 15. 173.
patres 22.
pax 111.
pecten 240.
peculium 236.
pelles 77.
Penates 149.
pensum 240.
peplum 255.
pero 75. 248.
perturbationes animi 135.
phalanx 60.
phalarica 87.
phalera 91.
pharetra 84.
philosophia Vergilii 131.
Picus 152.
picta arma 69.
pictae carinae 128.
pietas 219.
pilum 81.
Pinarii 164.
plumbus 90.
pocula 211. 252.
pontificia dignitas 8.
popae 165.
populus 24.
populus 191.
porca 118.
porricere exta 181.
porticus 225.
portus 32.
postes 107. 222.
posticum 227.
potentum munera 25.
Potitii 164.
preces 184.
probatio 179.
pronuba 141. 237.
Proserpina 143.
psalteria 257.
purus 175.

Q.

quadriga 18. 109.
quaesitor 19.
quattuor 212.
quercus 189.
Quindecimviri 163.

R.

rami 111.
refigere leges 7.
reges 4.
regia 9.
respersio 272.
ritus
Etruscus 30.
Aequicolanus 43.
Teutonicus 87.
Graecus 109. 111. 175.
Romanus 175. cet.
Atheniensis 218.

S.

Sabinus 150.
sacerdotes 163. 164.
sacrificia 9. 117. 166. 174. 182. 187. 195.
sagittae 85.
Salii 163.
salsae fruges 179. 182.
sanguis 189. 205.
Saturnus 151.
saxa 104.
scaena 33.
scalae 102.
sceptrum 16.
securis 86. 173.
sella 13.
senatus 21.
septem 213.
serta 191.
servi 230.
sexcenti 55.
Sicyonia 248.
signum 44. 50.
silvae 158.
sistrum 257.
sol 201.
solium 14.
sollitaurilia 166.
somnia 206.
spolia 106. 107.
spondeo 234.
statio 99.
statuae 251.
statuere 178.
Stoici 134.
structores 230.
Stygius Iuppiter 140.
sudes 98. 104.
supinae manus 186.
sus 170.
synizesis 234.

T.

tabulae 254.
tangere aram 161.
taurus 168.
Tellus 155.
templa 157.
ter 194.
tercentum 52.
tessera 49.
testudo 101.
textrina 239.
theatrum 32.
thorax 63.
tiaras 17.
Tiberinus 155.
tibia 256.
tirones 61.
toga 242.
tonitru 196.
torquis 15.
trabea 11.
tres 211.
tribus 26.
triginta 122.
triremes 125.
triumphus 110.
Trivia 145.
Troia 36.
tuba 45.
tunica 241.
turma 59.
turris 102. 104.
turritae puppes 125.

tus 182. 272.
tympana 257.
tyrannus 4.

V.

vagina 83.
valli 97.
vallum 97. 101.
velare caput 175.
velum 243.
venatio 264.
veniam petere 186.
Venus 146.
verbena 117.
veru 84.
Vesta 148.
vestibulum 223.
vestimenta 241.
vexillum 48.
vices 99.
vigiliae 98.
viginti 43. sq. 214.
vinum 183.
vittae 111. 161. 176. 178.
vitula 171.
vituli 170.
Volcanus 148.

Animadversiones.

Quam ex aliis hausi Vergilii interpretibus recentioribus doctrinam, hic religiose indicandam esse censui. Habeo vero Homericos locos hinc inde collatos ex Heynii potissimum editione, porro:

P. 20. Versu 15. Senec. Herc. fur. 731. ex Heynii excursu XI. ad librum VI: De iudicibus apud inferos. — P. 24. V. 21. Salust. Cat. 49. e libro: Erklärende Anmerkungen in Virgils Aeneis. von G. H. Nöhden und C. Fr. Heinrich. II. Theil. Braunschweig 1794. p. 156. — P. 28. V. 8. Apollon. Argon. III, 1367. ex Heynio. — P. 29. V. 15. »latifundia - possesiones.« verba Wagneri Tom. IV. p. 588. — P. 32. V. 37: Cf. Iahn ed. pr. p. 393. — P. 88. V. 7. Locos hac pagina laudatos omnes attulit iam Wexius Zeitschrift f. A. W. 1839. p. 1158. — P. 169. V. 3. Alios locos Cerda adfert. — P. 183. V. 17. Locum Livii contulit iam Marini Atti p. 288. — P. 194. V. 35. Cf. Klausen Aeneas Vol. II. p. 999. — P. 205. V. 36. Locum Valerii Maximi iam Cerda attulit. — P. 233. V. 13. Locum Festi e Cerda hausi. — P. 244. V. 15. Suetonii locum e Forcellinii lexico habeo. — P. 245. V. 19. Suetonii locum ex eodem.

Addenda.

P. 13. V. 18. Orelli (Cenotoph. Pisan.) 642: DVM. II. QVI. IMMOLAVERINT. CINCTI. GABINO. RITV. — P. 36. V. 11. Theatro addere quaedam poteram de plausu fere scaenico per Aeneidem memorato v. g. I. 559. V, 148. 554. 575. IX, 636. X, 96. XI, 132. 296. — P. 110. V. 2. Idem Vergilius Georg. III, 113. — P. 142. V. 35. Orelli 3315: ITVS. ACTVSQVE. EST. IN. HOCE. DELVBRVM. FERONIAI. EX. HOCE. LOCO cet. — P. 159. V. 5. Orelli 607: AVGVSTO. LVCVS. SACER. — P. 170. V. 4. Orelli 686: EOQVE. NATALI. VT. QVOT. ANNIS. VITVLVS. INMOLARETVR.

Corrigenda.

P. 72. V. 19. lege monumentis. — P. 72. V. 20. musée. — P. 80. V. 14. teste. — P. 89. V. 26. Georg. I, 308. — P. 133. V. 10: *recepti nequiquam.* — V. 37. maiorem. — P. 213. V. 12. rationem. — P. 230. V. 29. quae. — P. 233. V. 3. hic versus Georg. II, 510. est substituendus: *Gaudent perfusi sanguine fratrum.* — P. 234. V. 33. lectionem. —

Bonnae, typis Fr. P. Lechneri.

